



**De majestate Domini nostri Jesu Christi ad dextram Dei Patris,
et de vera præsentia Corporis & sanguinis ejus in Cœna. : In
hoc scripto respondetur Petro Martyri, & Henrico Bullingero,
Cingliani dogmatis de Cœna Dominica propugnatoribus.**

<https://hdl.handle.net/1874/423835>

2

De maiestate Domini NOSTRI IESV CHRISTI AD DEX- TRAM D'EI PATRIS, ET DE VERA PRÆSEN- tia Corporis & Sanguinis eius in Cœna.

In hoc scripto respondetur Petro Martyri,
& Henrico Bullingerio, Cinglianis dogma-
tis de Cœna Dominicâ propugna-
toribus.

A U T O R E I O A N N E
Brentio.



Francoforti apud Petrum Bruba-
chium, Anno Domini 1562.
mense Septembri.

PIO LECTORI IOAN-

NES BRENTIVS

S. D.



Egari, amiciss. mi Lector, nec potest, nec debet, quin Sacramentum hoc dissidium de cœna Domini, quod initio his quidē temporibus à Carolostadio excitatur, & à Cinglio propagatum est, magnam & pernici osam afferat offensionem. Hostes enim piaæ doctrinæ non tam in sinu suo gaudent, quam publicis uociferationibus sibi applaudunt, sperantes fore, ut doctrina diuinitus patefacta, mutuis doctorum uulneribus concidat. Amici autem & alumni ueræ Ecclesiæ ita perturbantur, ut alij quidem paulo imbecilliores incipiāt de ipsa doctrinæ ueritate dubitare: alij autem in tanto imbecilium offendiculo uehementer urantur. Quid ergo faciamus? Num idcirco officium deserendū est, q̄ non omnia pro nostris uotis succedant? aut transfugiendum est in castra hostium, quòd inter amicos sit bellum intestinum? Nihil certè minus: Sed tanto fortius contra externos & domesticos aduersarios pugnandū est, quanto maius exitium utriq; minantur. Neq; enim nouum neq; mirum est, q̄ in eo agro, in quo optimum

A ij semen

4 P BÆFATI O A D L E C T O R.

semen spargitur, inimicus sua etiam, eaq; uenena
ta zizania inter triticum seminet. Habemus au-
tem eum patrem familias, qui tanta est & pruden-
tia & bonitate, ut nec connueret ad inimici mali-
ciam , nec sineret zizania unà cum tritico cresce-
re, nisi & antea præuidisset tempus messis, & ad
suum quoq; cōmodum zizanijs uti sciret ac uel-
let. Simus igitur inter tot & tanta offendicula
tranquillo animo, nec existimemus ruituram coe-
lestem doctrinam , quòd qui eam profitentur,
uariè afficiantur : sed potius cogitemus, hanc esse
solennem rationem , qua Deus pater Domini
nostrī Iesu Christi doctrinam Spiritus sancti pur-
gatiorem & illustriorem reddat. In Arriano dissi-
dio , in quo uidebatur uera & æterna filij Dei di-
uinitas periclitari, quid aliud expectabatur, nisi
uniuersi Christianissimi interitus ? Sed bene ha-
bet, Deus hanc rem pro sua clementia ita guber-
nauit, ut uera & æterna diuinitate Christi nihil fe-
rè explicatius in Ecclesia extet. Itaq; non dubita-
mus, quin & hoc Sacramentarium bellum, eti-
amsi uideatur Ecclesiæ filij Dei magnam cladem
inferre, singularem tamen & insignem quandam
utilitatem, diuino beneficio sit allaturum. Inte-
rea autem Deus, dum iudicium suum in hac con-
trouersia pro sua maiestate pronunciauerit, eius-
modi

modi dat euentum, ut qui sunt uerè pīj, has tentationes perferre, & ueritatem cognoscere queant. Excitantur enim diuinitus, qui sese magno animo aduersus gigantes illos & Goliathas, pro domo Israelis opponunt, & qui, cùm superioribus annis Lutherus fœlicis memoriae, hoc certamen maxima animi fortitudine & pietate sustinuerit, optimam nauant operam, ut uera Ecclesia Christi in tanta tenebrarum potestate, lucem habeat, quam sequatur. Ac profecto plurimum gratulor Ecclesiae filij Dei, quòd tot ac tantos ueritatis propugnatores diuino beneficio habeat, ut præ ijs opera mea planè superuacanea uideatur. Et cùm mea sententia de cœna Domini iam multis annis in Ecclesia publicè & perspicuè extiterit, putauit me meo munere satis defunctum: Sed cùm uiderem hoc bellum periculose recrudecere, & aduersarios nostros in uarias artes misericè intentos esse, nec uolui, nec debui, quid sentirem, dissimulare. Itaq; initio exposui paucis quidem, sed apertè ac disertè, in Apologia aduersus Sotum, quæ mea esset de uera præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna eius, sententia. Quòd si nullum aliud officium me impulisset, illud tamen mihi cauendum erat, ne dum in hac ciuili dissensione neutri parti accedere uiderer,

A iiij ab u.

6 PRÆFATIO AD LECTOR.

ab utraq; hostis, quod ueteres iudicauerunt, haberer. Sed postquam copiosior eius scripti explicatio ab amicis expeteretur, scripsi libellum, cui titulum feci, *De personali Vnione duarum naturarum in Christo*, &c. Mox æditur à Bullinger in lucem tractatio uerborum Domini, In domo Patris mei mansiones multæ sunt &c. Qui libellus cùm & mihi legendus, ac pro mea tenuitate iudicandus traderetur, scripsi meam de eo sententiam, & sperauit futurum, ut aduersarij de erroribus suis, non admodum duriter admoniti, paulatim mitescere, & oculos aperire inciperent. Ecce autem tibi quàm longè diuersum accidit? Initò enim Petrus Martyr aggreditur me dialogo, in quo meum scriptum, *De personali unione duarum naturarum in Christo*, ita refutandum suscipit, ut interea animi sui impotentiam magis prodat, quàm ueritatem expugnet. Deinde Henricus Bullingerus in me tanta uehementia cooritur, ut eum etiam caniciem meam uellicare non pudeat. Visum igitur est, causam ipsam hoc scripto iterum, pro mea medio critate, tractandam suscipere, ut & Ecclesiae Filij Dei meum officium probem, & palam diuino fauore adiutus demonstrem, Martyrem & Bullingerum decreuisse quidem sibi triumphos, & iam cecinisse

PRÆFATI O AD L E C T O R .

cœciniſſe pœana , ſed ſua iſporum temeritate & perſuafione , nullo autem legitimo Senatus decreto . Cæterūm , ut integrā causā , quoad eius breuiter fieri potest , complector , diuidam hoc ſcriptum in tres partes . In prima , exponam , Deo propicio , diuinam maiestatem Christi , ex qua etiam uera præſentia corporis & ſanguinis eius in Coena statuitur . In altera parte dicam de diſpensatione corporis & ſanguinis Christi in Coena . Non enim ubiq; eſt Christus , ibi etiam corpus & ſanguis eius diſpensantur . Poſtrema pars , non nihil de uſu Coenæ Domini .
cæ Deo uolente commemo-
rabit.

De diuina maiestate CHRISTI.



LII quidem, qui hactenus post Lu-
therum inierunt certamē cum Cing-
lianis de Cœna Domini, probant ue-
ram & substantialē præsentiam cor-
poris & sanguinis Christi in cœna,
ex uoluntate Christi, quam ipse ex-
posuit claris & manifestis uerbis, cūm accepto pane di-
xit: Accipite, edite, hoc est corpus meum: Et calice, Bi-
bite, Hic est sanguis meus. Ac recte & piē dicunt, Vel-
le Dei, esse posse eius, iuxta illud Psalmi: Omnia quæ/
cunq; uoluit, fecit, in cœlo & in terra. Cinglianī autem,
& in primis Martyr ac Bullingerus, negant hanc esse
Christi uoluntatem, propterea quod non habeat pote-
statem, ut efficiat, quo corpus ipsius simul sit uerē & sub-
stantialiter in cœlo & in coena. Sentiunt enim, ne diui-
na quidem potentia fieri posse, ut uerum corpus simul
sit in duobus aut pluribus locis. Cūm igitur alij collegē
nostrī non solum piē & eruditē, uerum etiam copiose
in scriptis suis uoluntatem Christi explicit, uolui ego
potestatem eius, non dico, explicare: Quis enim ego
sum, qui uel extremam particulam tantæ potestatis &
maiestatis cogitatione saltem mea, pro dignitate sua co-
prehendere queam? sed uerbis utcunq;, quantum ad
præsens institutum pertinere uidetur, adumbrare. Ac
profectò optimè nunc nobiscum, in hac quidem cau-
sa, agitur, quod Cinglianī hactenus nostrorum scriptis
excitat, ita suam opinionem prodiderint, ut nec simpli-
cioribus

cotoribus amplius imponere, nec uerè pios seducere que-
ant. De Alexandro Magno scribunt, quòd initurus ex-
tremum prælium cum Dario Rege Persarum, omni-
bus suis copijs instructo, profundum somnum, præ-
ter consuetudinem suam, cœperit. Cùm autem iam ad
pugnam solus Alexander deesset, excitatur tandem ab
amico, admirante ac etiam interrogante, ecquæ illa es-
set dormiendo libido inter tanta pericula? respondit se
maxima cura liberatum, & tranquillo esse animo, quòd
Darius omnes suas copias adduxisset, & liceret nunc uel
tandem bellum tam periculo sum & diuturnum confice-
re. Non minus & nos in præsenti certamine securos red-
dunt Cingliani, & magna nos molestia liberant, quòd
cùm hactenus multa dissimulauerint, & falsam suam
sententiam honestis uerbis pinxerint, nunc incipient er-
torem suum manifestè profiteri, ut simpliciores nō am-
plius seduci queant, sed uniuersa uerè pia Ecclesia aper-
te cognoscat, qui sint fugiendi, & à quorum doctrina
sit cauendum.

Primum enim illa eorum uox publicè extat: Corpus
Christi tantum abesse à coena eius, quantum distat supre-
mum celum à terra.

Deinde Martyr, cuius scripto Bullingerus se adscri-
bit, non ueretur publicè uociferari: Nulla ui fieri pos-
se, ut Corpus Christi, salua substantia eius, uel non sit in
loco, uel sit ubiqz. Hoc certè si uerum est, periclitabitur
& omnipotens Dei, & maiestas Christi ad dextram
Dei collocati, id quod recipio me diuina clementia, adiu-
tum, in hoc scripto, tam planum facturum, ut omnes
pñ intelligant, quam perniciosum errorem, Satan in Ec-
clesiam filij Dei per Cinglianum dogma inducere me-
ditatus fuerit.

Postremò dexteram Dei, ad quam spiritus sanctus in
uniuersa sacra scriptura collocat Christū, interpretantur
per certo & circūscripto loco, in quo Christus stet, sedeat,
aut ambulet, prout ei uisum fuerit. Hoc est Christū de
summa sua maiestate, qua omnia liberrimè corām tueſ
& conseruat, detrahere, & in angūstias corporalium loco/
rum includere. Et si enim uolunt uideri, se tribuere Chri-
sto amplissimum habitaculū, in quo stet aut sedeat, aut
ambulet; tamen humanitatem eius in illud ita includūt,
ut necesse habeat in eo perdurare usq; ad nouissimum
diem, quo tandem tempore licebit ei ad nubes descēde-
re, & sese orbi terrarum ostentare. Interea autem, nul-
la ne omnipotētia quidem eius fieri queat, ut corpus
eius in coelo manens, sit etiam præsens in Cœna Domi-
nica. Sed de his posterioribus duobus membris, suo lo-
co. Nunc paucis de priori illo dicemus. Et si enim audiv-
tu horrendum est, quod in Christianismo, in quo doce-
tur, Christum accepisse in Cœna sūra panem, & dixisse
hoc esse corpus suum, uox illa publicè sonet, corpus
Christi tantum abesse à Coena, quantum supremum cœ-
lum distat à terra, tamen suam affert Ecclesia Filij Dei
utilitatem. Cum enim nostri obiecerint hactenus Ci-
glianis, quod statuant in Cœna Christi nuda signa, hic
tum plurimum uociferabant de iniuria & calumnia:
quippe quod nihil minus uideri uelint, quam quod sen-
tiant se in sua Coena habere nuda signa. Et solent de uir-
tute & efficacia eorum ita concionari, ut qui sententi-
am ipsorum non exactius perpenderit, existimet eos ue-
ram corporis & sanguinis Christi præsentiam in Coe-
na multò certius, quam nos ipsos affirmare. Vide ergo
mihi ueteriorum astum. Non possunt ignorare,
eos, qui accusant ipsos nudorum signorum, intelligere

&

& loqui de signis præsenti substantia Corporis & sanguinis Christi nudis. Ipsi autem intelligent de signis significatione & uirtute nudis. Sed hac ratione ne quidē petra, aut uitis, aut etiā agnus, essent nuda signa: quippe quod Christum ipsum significant, & spectatorē ad considerationem beneficiorum Christi excitent. Nunc autem postquam illa eorum uox de distantia corporis Christi à Cœna, publicè extat, non possunt amplius cuiquā sua excusatione imponere: sed manifestū est, eos in sua Cœna statuere signa tam nuda, ut quantum supremum cœlum distat à terra, tantum absint à pane & uino Cœnæ corpus & sanguis Christi. An putas tu exiguam esse utilitatem, sapientes in astutia sua compræhendere?

Deinde cū de uera & substanciali præsentia & dispensatione corporis & sanguinis Christi in Cœna, sermo est, solent palā profiteri, se credere, quod in Cœna distribua cur uera Corporis & sanguinis Christi substātia. Et Martyr in suo Dialogo: Apparet (inqit) nostros affici magna iniuria, qui Cœnam sacram infamētūr absq[ue] corpore & sanguine Dñi celebrare, &c. Hic paulò simplicior quispiam, cūm audit hæc uerba, existimat eos nobiscū sentire, quod corpus & sanguis Christi nō sint tantū in celo, quod à terra maximo locorū spacio distet, sed etiā in Cœna, uerè præsentia: cū tamē de præsenti distributione substantię corporis & sanguinis Christi ita sentiant, ut quē admodū Princeps quispiā, si confert in suum uasallum, ius feudi (ut nunc loqui solent) dicitur in eum omnem feudi substantiam, etiamsi ea longo interuallo à curia Principis distet, conferre sic Christus conferat in Cœna uescientibus pane & uino substātiam, hoc est, omne ius, & omne beneficium corporis & sanguinis Christi, etiā etiamsi hæc maximo locorum spacio à Cœna absint. Itaq[ue]

dum presentem dispensationem substantiæ corporis & sanguinis Christi in Cœna affirmant, aliud ipsi loquuntur, aliud populus intelligit. Postquam autem nunc nouerentur publicè iactare, corpus Christi tantum abesse à pane Cœnae Dominicæ, quātum supremum cœlum distat à terra, non potest amplius, etiam simplicioribus, esse obscurum, quo astu, & qua uafricie dicant, In Cœna substantiam corporis & sanguinis Christi dispensari. Sumus igitur beneficio huius uocis, illo labore leuati, quod deinceps non sit nobis solicite curandum, ut cognoscamus certam sententiam Cinglianorum de praesentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, Sed siue dixerint, suum sacramentum in Cœna non esse nudum signum, siue affirmauerint, se credere, quod in Cœna distribuatur uera substantia corporis & sanguinis Christi : siue scripserint, se in Cœna accipere præsens corpus & sanguinem Christi, per fidem, manifestum tamen est, quod corpus Christi, in supremo, quod singūt, cœlo localiter ita collocent, ut re ipsa non possit esse in Cœna. Sed de his hactenus. Accedamus ad caput negocij. Nolo in praesentia singulas φλυαρίας, & calumnias Martyris ac Bullingeri perstringere. Vtilius puto, rem ipsam, cuius explicationem ecclesia filij Dei expectat & exigit, tractare. Non est autem sentiendum, quod his temporibus controversia de Cœna Domini in hoc precepit constituatur, utrum corpus & sanguis Christi uerē sint præsentia & dispensentur in Cœna. Etsi enim initio, hoc fuit controversiae caput, tamen Cinglianorum intemperie factum est, ut nunc aliud *κριώμενον* sit propositum. Itaque non hoc tantum queritur, utrum corpus & sanguis Christi sint in Cœna eius uerē præsentia, Sed illud etiam querit, utrum Deus sit uerē omnipotens, & utrum

utrum Christus non sit tantum homo, sed etiam uerus Deus. Vera omnipotētia Dei, uera diuinitas & maiestas Christi (quod quidem est in Cinglianis) periclitatur, adeoq; uerè pia sententia horum præcipuorum art culorum nostræ religionis, Verbum caro factum est, Ascendit in cœlum, Sedet ad dextram Dei Patris omni potentis, in dubium uocatur. Affirmant, ne Deum quidem ipsum uniuersa sua potentia efficere posse, ut corpus, non aliorum tātum hominū, uerum etiam Christi Seruatoris nostri, sine loco saluum consistat. Affirmant in Vnione personali, seu incarnatione Christi, Deum non omnia cōtulisse in hominem, quem assumpsit, Sed ea tantum, quorum homo sua natura capax est. Hoc certè est affirmare nec Deum esse uerè omnipotens, nec Christum esse uerum Deum. Nō dubito, quin futurum sit, ut nullis non uerbis, clamoribus & uociferationibus tantam molem mali à ceruicibus suis depellere studeant. Non autem uerba tantum & clamores audiendi sunt, sed potius sententia eorum expēdenda est, ut de ueritate certius iudicare possis. Antequam autem hæc explicanda suscipiam, uisum est commonefacere Cinglianos maximi sui periculi, recitatione uaticinij, quod de dogmate ipsorum in scriptis D. Martini Lutheri, fœlicis memoriae, publicè extat. Etsi enim fortasse nonnullis eorum ridiculum uidebitur, obtrudere ipsis nomen eius uiri, cuius autoritatem non admodum magni faciant, tamen quemadmodum nobis plurimum, diuino beneficio, ad cognoscendum in Romano Pontificio Antichristianismum profuit, ita iudicium tanti herois, in discernendo dogmatum spiritu, non est temere aspernandum. Si nihil aliud, certè tale uaticinij genus, uel saltē securitatem horum dogmatistarum ex-

cutere debet, ne imprudentes in illud exitium, quod initio ne in mentem quidem uenerat, præcipitentur. Audiamus igitur uaticinium Lutheri.

Lutherus in secunda parte contra fanaticos, quos uocat coelestes Prophetas.

Postquam (fanatici) eò cōtendant, ut nō uelint uerbū Dei fide honorare, aut iuxta simplicitatē phraseos agnoscerē, sed sophistica ratiōe & acuta subtilitate metiri, ac gubernare: re ipsa cōperies, ipsos eò delapsuros, ut negēt essiā Christū esse Deū. Nā corā humana ratiōe tam stulte sonat, Homo est Deus, q̄ illud, Panis est corpus. Et cum alter⁹ negēt, mox etiā alter⁹ negabūt. Ac profecto eò tēdit Satan, ut cū ipsos ē Sacra scriptura ad suā ipsorum rationē seduxerit, oēs ueteres hæreses in lucē reuocet. Videbis, n.admiranda, quantā uidelicet industriā humana ratio ostētabit, presertim in uulgo, & caput mouebit, ac dicit: Quid? Deitas & humanitas sunt diuersa, immenso discrimine a se inuicē distincta, sicut semper interū a caduco, quomodo igit̄ alter⁹ potest esse alter⁹: aut quomodo q̄s dicere potest: Homo est Deus. Eodē certē modo dicendū esset, Caducū seu temporale est perpetuum, Mortale est immortale, & id genus alia. Cuius rei nunc exhibet nobis in capite Carolostadij exemplū, aduersus Cœnē Dominicę sacramentū. Ibi tum rē probē scilicet cōficiet etc.

Et iterum.

Quascunq̄ sannas et irrisiones euomuit Carolostadius, de corpore Christi in sacramento, eas etiā de Deitate Christi euornat necesse est, id qđ etiam suo tempore fiet.

In scripto περὶ τοῦ περὶ τοῦ uerborum Christi,

Hoc est corpus meum, &c.

Mei fanatici faciūt hac sua nausea παρεσκευή ad negandū Christū, Deū, &c. & oīa simul, quemadmodū iam aliqua ex parte incipiūt prorsus nihil credere. Cōparant, n. se ad humanæ

humanae rationis arbitrii; qd egregie ipsis imponet &c.

Et iterum.

Sed obiectum, Credimus quidē, q̄ potētia Dei sit ubiq̄z.
Hinc aut̄ nō sequit̄, quod diuīna eius essentia, aut dextera eius sit ubiq̄z. Respōdeo: Credo & ego quod in recessu & latebris cordis uestrorū nihil quicq̄ nec de Deo, nec de potētia eius creditis. De qua re etiam certus sum &c.

Et in postrema breui Confessio e.

Etsi (Cinglani) plurimū glorianū quod hūc articulū de persona Christi credat, & multa de hac re garriat, tñ noli verbis eorū fidē adhibere. Reuera. n. oīa mentiunt̄, quæ cūq̄ de his reb. effutiūt. Ore quidē confitent̄ (sicut & Satā in Euāgelio uocat Dñm, filiū Dei) cor aut̄ eorū longē est ab eo. Mat. 15. Hoc certū est etc. Hactenus Lutherus. Nos quidē libēter amplectimur qd Cinglani, autoritatē sacre scripture, de æterna diuinitate filij Dei cōfident̄, & speramus eos Arianismū, & q̄cqd est id genus heresē, ex aio detestari. Sed cū Luth. fuerit acutissimus spirituū disretor, & Cinglani nō uereant̄ omnipotentiam Dei physicis suis rationib. metiri, ac suā filio Dei maiestatē detrahere, metuendū est, ne, cū Satā inueniat domū scōpis mundatam, adducat secū septē alios spūs nequiores. Primū ergo oīm, postq̄ instituimus diuīna clemētia ad iūti itē explicare ueram sententiam incarnationis (sic enim libuit maioribus nostris loqui) Christi filij Dei, ascēsus eius in cōclum, & sessionis eius ad dextram Dei patris sui omnipotentis, qua sententia rectē explicata, uera & substantialis corporis ac sanguinis Christi præsentia in cōcena perspicue statuitur; non est uīsum, in p̄sentia farraginem eorū dictorum scripture, quæ incarnationē Christi seu assumptionem, sicut Athanasius loquitur, humanitatis in Deum testificant̄, cōmemorare.

Contenti

Contenti in præsentia erimus unius ac præcipui dicti re citatione & explicacione . Verbum (inquit Ioannes A/ postolus & Euangelista) Caro factum est. Nec dubium est, quin in hoc dicto nomine VERBI, seu ut Græcè dicitur, τὸν λόγον, intelligatur secunda persona in una Deitate, unigenitus uidelicet Filius Dei, uerus ab æterno Deus, ineffabiliter à Deo Patre suo genitus. Nomine autem carnis intelligatur non una tantum pars hominis, sed totus homo, corpore & anima rationali constans. Quod igitur Euangelista dicit, Verbum caro factum est, significat filium Dei factum esse hominem. Hinc sunt locutiones illæ, Deus est homo, & homo est Deus. Ac iterum: Totus Deus est homo, Et totus homo est Deus. Quid autem hoc? Num illud dicitur, diuinitatē filij Dei mutatam esse in humanitatem? aut humanitatem conuersam esse in diuinitatem? Nihil minus. In incarnatione enim Christi, sicut essentia diuinitatis, quæ est simplicissima & nulli mutationi obnoxia, man sit inuiolata, ita etiam essentia humanitatis, quæ constat anima rationali & corpore mansit immutata. An illud dicitur, diuinitas & humanitas in Christo sunt ita confusa & commixta, ut sicut aqua & uinum commisceri solent, ita illa inter se confundantur? Ne hæc quidem est sententia. Ex diuinitate enim & humanitate non fit una natura, sed sunt & manent duæ diuersissimæ nature. An fortassis illud intelligitur, diuinitatem Christi, humanitatem ita sibi adiunxisse, ut tamen singulæ substantiæ seu naturæ, sint singulæ personæ? Hoc Nestorianum est, & abominandum. Quid ergo est, Verbum factum est caro, seu Deus factus est homo, aut Deus est homo? Certè si Aristoteli, hoc est, humanæ rationi, sua axioma ta huc conferenti, & expendentri, hoc proposueris, multo absur-

eo absurdius videbitur, quam si dixeris, Homo est asinus, aut Leo est ceruus. Longius enim inter se distant Deus & homo, quam homo & asinus, aut Leo & ceruus. At si intuearis oracula Spiritus sancti, quae in Propheticis & Apostolicis scriptis extant, nihil uerius, nihil certius esse credendum est. Ne quis autem cæco impetu feratur, non tantum uerba huius oraculi numeranda sunt: sed etiam uera eius sententia, quatenus quidem eam Spiritus ipse sanctus in suis scriptis exposuit, ponderranda est & cognoscenda. Itaque uisum est hic initio recitare Canonem concilij Chalcedonensis, quem & in priore libello, de Personali unione duarum naturarum in Christo, recitaueram, & quem omnes p̄ij & orthodoxi fatentur clare & diserte sententiam illius dicti, Verbum caro factum est, exponere.

Concilium Chalcedonense circiter
annum Christi 430.

Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum ante secula quidem, de Patre genitum secundum deitatem, in nouissimis autem diebus, eundem propter salutem nostram ex Maria uirgine Ἰωτόνω, secundum humanitatem, unum & eundem Christum Dominum filium unigenitum, in duabus naturis, inconfuse, immutabiliter, in diuisive, inseparabiliter, agnoscendum, nusquam sublata essentia naturarum propter unionem, magisque salua proprietate utriusque nature, & in unam personam, atque existentiam, concurrente, non in duas personas partitum atque diuisum, neque disiunctum, sed unum eundemque filium unigenitum.

Hactenus Concilium Chalcedonense.

Quod igitur Evangelista dicit, Verbum caro factum est, & quod alia loca scripturarē de incarnatione

C Chri

Christi loquuntur, hoc synodus Chalcedonensis expōnit, quod in Christo duæ naturæ seu substâtie, Diuinitas uidelicet & humanitas, ita cōueniant & inseparabiliter uniantur, ut non sint duo filii, sed unus, nec duo Christi, sed unus, nec duæ personæ, sed una tantum persona. Cūm autem hæc synodus tribuerit Christo nomen personæ, nec id temere, absq; scripturæ autoritate fecerit, uidendū est unde id sumpererit. Ac manifestum est, quod in scriptura s̄aþe fiat mentio πεστωπον seu personæ, pr̄sertim in ihs locis, in quibus prædicatur. In iudicio non esse personam hominis respiciendam, unde & πεστωπωληγια, hoc est, personæ acceptio seu respectus dicitur. Sed si nullum aliud huīus uocabuli exemplum in sacrīs literīs extaret, uix uideri posset, quod ex illis locis attributum fuisset Christo. Sunt igitur alia loca perquirienda. Et ecce apud Paulum, in posteriori Epistola ad Corinthios cap. 1. dicitur. *Vt ἐν τολμῷ πεστωπωπού, hoc est, ex multis PERSONIS, pro dono in nos collato, per multos gratiae agantur pro nobis.* Hic nomen personæ, pro homine per se subsistente sumitur. Et de Christo ipso, capite 2. in eadem Epistola dicitur: *Si quid condonauī, cui condonauī, propter uos condonauī ἐν πεστωπωποχριστῷ, hoc est, in persona, seu nomine Christi.* Et cap. 4. Deus est, qui iussit ē tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriae Dei, ἐν προσωπῳ, hoc est, in persona Iesu Christi. Sed undecimq; hoc uocabulum sit acceptum, & Christo attributum, certe ad explicādam ueram rationem Christi aptissimum est. Sicut enim homo quispiam, persona dicitur, quod sit una īdiuidua, ē duabus diuersis naturis, corpore & anima rationali, constans, substantia, ita Christus constans ex diuinitate et humanitate, diuersissimis quidem naturis,

naturis, una autem subsistētia, rectē dicitur persona. Solet & nomen ὑποστάσις, quod subsistentiam significat, pro persona usurpari, idq; ex illo (nisi fallor) epistolæ ad Hebræos loco, quo filius Dei dicitur χριστός τὸν πόστασίν ἀντιτίθεται, hoc est, expressa imago subsistentiæ eius, unde & in una deitate tres dicuntur πόστασις, hoc est, personæ per se subsistentes. Similiter coniunctio diuinitatis & humanitatis in Christo uocari solet unio ὑποστάσης, hoc est, substancialis, seu personalis. Hæc idcirco uisum est recitare, ut cognoscatur, ueteres non pro suo arbitrio, sed autoritate sacræ scripturæ tribuisse Christo nomen personæ.

Deinde in expositione huius dicti: Verbum caro factum est, synodus Chalcedonensis (quo nomine ueteres orthodoxos complector) diuinitatem & humanitatem in Christo ita coniungit, ut Christus sit ἀστραγάντις, ἀπόστολος, ἀελικέτης, ἀχωριστός, hoc est, inconfusè, immutabiliter, indiuise, & inseparabiliter una persona. Quid autem hoc aliud est, q; si diceref, diuinitatē & humanitatē in Christo ita unitas esse, ut nec diuidi unq;, nec separari a se inuicē queant? Tam firma, n. est hæc unio, ut eam iam inde ab incarnatione, nullum nec tempus, nec locus, nec mors, nec uita, nec angelī, nec principatus, nec potestates, nec instantia, nec futura, nec altitudo, nec profunditas, nec ulla alia creatura disiungere ac diuellere possit. Quælo igitur te, amiciss. mi lector, reputa mihi cū animo tuo, an non is, qui pio est & sano intellectu, ac ex animo confitetur diuinam & humanam naturā in Christo esse inseparabiliter in una persona coniunctas, necesse habeat etiam sentire & confiteri, quod ubiq; est diuinitas Christi, ibi etiam sit humanitas eius? Si enim hæc sunt semper inseparabiliter in Christo coniuncta & unita, quomo

do alicubi potest esse diuinitas Christi absq; humānitatē eius? Necq; enim filius Dei sic assumpsit Filium hominis in unam personam, ut alicubi quidem esset Deus & homo, alicubi autem Deus tantū: sed potius ut ubicunque est, uerus esset & totus Christus, ueruscq; Deus et homo. Quare qui Christum ita diuidunt ac separant, ut in uno tantum loco coniungant diuinitatē & humanitatē eius, in alijs autem omnibus locis collocent, duntaxat diuinitatē eius, adeoq; illam ab hac tanta locorum intercapedine se iungant, quantum supremum cœlum à terra distat, hi effugere profectō non possunt, quin in latebris cordium suorum, faciant, (quod in ipsis est) ex Christo duas personas, alicubi quidem Deum & hominem, alicubi autem Deum tantum. Sufficit (inquit Martyr) deitatem quamuis immensam & infinitam, sua hypothesis fulcire ac sustentare humanitatē, ubi cunctq; illa fuerit. Vnde licet corpus Christi sit in cœlis, nec amplius uersetur in terris, nihilominus tamen filius Dei cum est in Ecclesia, & tandem ubiq; , nunquam sic est expers humanæ naturæ, quin eam in loco, ubi ipsa est, habeat insitam sibi, & in unitate personæ coniunctam. Hactenus Martyr. Hoc autem, si penitus inspiceris, quid, obsecro, aliud est, quam non solum ex Christo duas facere personas, uerum etiam Christum in ordinem sanctorū hominum redigere, adeoq; ipsum uerum esse Deum, apertere negare? An non enim filius Dei, qui est uerus Deus ab ēterno à Patre suo ineffabiliter genitus, implet sua præsentia, essentia & potentia cœlum ac terram, & omnia quæ in eis sunt? Itaq; implet etiam homines pios & Sanctos, idq; non uulgari tantum modo, quo reliquas creaturas, uerum etiam singulari inhabitationis gratia. Quid igitur eximij habet homo Christus, (quod quidē

ad

ad diuinitatis præsentiam & potentiam attinet) ab unius genito filio Dei, præ reliquis Sanctis, Petro uidelicet aut Paulo. Sufficit (inquit Martyr de Christo) deitatem, quā uis immensam & infinitam, sua hypostasi fulcire ac sustentare humanitatem, ubi cuncta illa fuerit. At sic etiam filius Dei, fulcit & sustentat sua hypostasi, (Est enim secunda in una Deitate hypostasis) humanitatem Pauli, ubi cuncta ea fuerit. Humanitas enim Pauli non posset uel uno momento consistere, aut conseruari, nisi diuina Potentia & præsentia fulciretur ac sustentaretur. Et corpus Pauli, uersatur quidem apud Philippenses aut Romanos, nec interea est in alijs locis siue supra in cœlo, si ue infra in terris, nihilominus tamen filius Dei, cum est in Ecclesia, adeoque ubique, nunquam sic est expers humanae naturæ Pauli, quin eam in loco, ubi ipsa est, siue apud Philippenses, siue apud Romanos habeat insitam sibi, & indissolubili vinculo coiunctam. Siue enim Paulum intuearis adhuc uiuentem in his terris, siue mortuum in Christo, certè filius Dei diuinitate sua ita ei coniunctus & unitus est, ut & uiuentem uiuiscet, & mortuam animam coheruet, quam exuicias, quamvis in puluerem redactas, usque ad resurrectionem essentia & potentia sua præsentissimus custodiat. Paulus cum esset apud Philippenses scribit ad Corinthios: Ego quidem (inquiens) ut absens corpore, præsens autem spiritu, iam decreui &c. Et ex Roma ad Colossenses, Quāuis (inquit) carne sum Colos. 2. absens, tamen spiritu uobiscum sum. Cum autem Englishani non sublimius sentiat de Christo, quamquod sit corpore suo in uno tantum loco cœli collocatus; Interrim autem inuisit spiritu suo Ecclesias in his terris, an non redigunt eum in ordinem Pauli, aliorumque hominum sanctorum, ut non alio modo Deus dicatur, quam

Paulus dici possit? Non dubito, quin uerbis suis quam contetissima possunt uoce, sint reclamaturi. Sed si sententiam eorum, quam spiritus Dei, qui etiam profunda scrutatur, in cordibus ipsorum uidet, consideraueris, obscurum non est, quod aliud uerbis loquantur, aliud in recessu animorum sentiant.

Filius Dei conceptus est homo in utero Virginis mirabili Dei presentia & potentia. Sed & Paulus mirabili Dei presentia & potentia in suæ matris utero conceptus est. Etsi enim filius Dei conceptus est in sua matre absque uirili semine, & sine peccato, tamen nunc non est sermo de modo conceptionis, & concepti hominis qualitate, sed de æterni filij Dei in conceptione presentia & potentia, qua & homo Paulus conceptus est. Dicit quidem David: Ecce in iniuriatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea, quod de Christo dici non potest; in alio autem Psalmo ille idem David dicit, Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Et mox: Tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ. Gratias tibi ago, quoniam mirabiliter me fecisti. Mirabilia sunt opera tua, id quod anima mea probè cognoscit. Non est occultatum os meum à te, cùm forma rerum in abscondito, & in utero matris. Imperfectum meum uiderunt oculi tui &c. Audis igitur Davidem, & nomine Davidis Petrum, Paulum, & alios homines, ac praesertim sanctos, singulari Dei presentia & potentia in utero matrum conceptos, sicut & de Hieremias dicitur; Priusquam te formarem in utero, noui te, & ante exires de uulua sanctificauit te. Et apud Paulum: Elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi. Filius Dei homo factus, multa & magna, adeoque miranda opera aedit. Daemonia eiecit; Cæcis reddidit uisum:

Claudos

Claudos sanauit, Leprosos mundauit, & quod est admirabilius, mortuos excitauit. Sed & Paulus addidit miracula, nec Dæmonia tantum eiecit, & mortuos excitauit, uerum etiam tanta fuit autoritate, ut & super infirmos deferrentur a corpore eius sudaria & semicincta, & recederent ab eis morbi, ac egredierentur spiritus mali. Similiter de Petro quoque dicitur, quod homines exportaverint infirmos in plateas, & posuerint in lectulis ac grabatis, ut uenientis Petri, uel umbra obumbraret alium quem illorum. Dices, quod Christus fecit, propria uirtute fecit. Quod autem Petrus & Paulus fecerunt, aliena uirtute fecerunt. Quin immo, quod fecerunt tam Christus, quam Petrus & Paulus, hoc fecerunt uirtute DIVINA, eaque non absenti, sed omnino praesenti, & qua non minus, si essentiam & potentiam eius respexeris, impletione erant Petrus & Paulus, que Christus ipse. Si enim Diuinitatem Christi consideraueris, simplicissima est, & ubique que est, ibi tota est. Christus resurrexit a mortuis diuina uirtute. Hunc Iesum, inquit Petrus, suscitauit DEVS, Et, Dextera Dei exaltatus est. Sic resurget etiam Petrus & Paulus diuina uirtute, eaque non longe absenti, sed omnino praesenti, qua & interea in morte ad resurrectionem conseruantur. Dicito ergo mihi, quæso, quod est discrimen inter Christum, & Petrum ac Paulum? Respondes quidem filium Dei iunxisse sibi filium Mariæ uirginis in unitate personæ, non autem sic uniuersisse sibi Petrum aut Paulum. Recte. Sed quid est illud: In unitate personæ? An non filius Dei ab æterno a Patre suo generatus, uerè Secunda est, in una deitate, persona, qua & omnibus rebus ita præsto adest, ut absque præsentia & potentia eius nihil rerum consistere posset? Quid igitur prohiberet, quo minus dicatur Filius Dei cum omnibus rebus

rebus creatis personaliter unitus esse. Certe si sententia
Martyris, quam supra commemorauimus, de unione per-
sonali, recte introsperceris, talem facit unionem filij Dei,
& filij Mariæ uirginis, qualis est filij Dei, & omniū crea-
turarum, aut saltem Petri, Pauli, & aliorum sanctorum.

Sic enim collocat humanam naturam Christi in cœlo,
Fol. 10. ut filius Dei in eo tantum loco, ubi est ipsa, habeat sibi es-
am insitam, & in unitate personæ coniunctam. At sic na-
tura cuiusuis hominis nunc in cœlo existentis, ut Moysi
(exempli gratia) & Eliæ, & omnium eorum, qui in die
Paschæ cum Christo resurrexerunt, insita est filio Dei,
& ipsi in unitate personæ coniuncta. Quare enim Diuini-
tas est in Christo personaliter, (sicut paulo ante exposui-
mus) presens, et omnia in terris gubernat, eadem etiam
est in Mose, Eliâ, & alijs sanctis in cœlo, ac interim uni-
uersa in terris gubernat. Quare, nisi Cingliani unionem
personalem in Christo ita definiant, ut ubicunq; siue in
cœlo siue in terra fuerit deitas Christi, ibi habeat sibi inse-
parabiliter coniunctam & unitam suam humanitatem,
stieri non potest, quin non solum faciant ex Christo du-
as personas, aut duos Christos, uerum etiam redigant e-
um in ordinem aliorum sanctorum, & negent eum esse
uerum Deum. Non ignoro Cinglianos in explicatione
personalis unionis duarum naturarum in Christo miri-
ficè sibi, in exemplo solis & radiorum, blandiri, quod si-
cuit corpus solis in uno tantum cœli loco est, & tamen spar-
git undiquaq; suos radios, ita et corpus Christi sit in uno
tantum cœli loco, cum diuinitas eius in omnia loca dif-
fundatur. Hæc certè aptissima esset similitudo, si prius
probatum esset, quod quemadmodum radj solares ha-
bent originē suam è corpore solis, ita & diuinitas Chris-
ti haberet originem suam ex humanitate. Quid autem
magis

magis impium dici posset? Posset quoq; uideri locum habere, si corpus solis & radij eius, una essent inseparabilis & indiuisibilis, ex duabus diuersis naturis constans, persona. Nunc autem, nec sunt una persona, nec sunt diuersae nature. Quid igitur ad unionem illam duarum diuersarum naturarum in Christo? Sed accedo nūc ad collationem, qua Athanasius Christum cum homine confert. Nam quod Martyr de trunco arboris in radice, & de astris in orbibus suis, disputat, nihil ad nos. Similitudinem personæ Christi, cum præsentia hominis inspiciamus. Sicut anima rationalis (inquit Athanasius) & caro, unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Quemadmodum igitur fieri non potest, ut si alicubi singatur substantia animæ & corporis simul, maneat unitas personæ hominis, ita non potest fieri, ut constet persona Christi unitas, si post incarnationem alicubi diuinitas eius cum humanitate, alicubi diuinitas tantum absque humanitate, idq; tanto interuallo se iuncta, quantum est inter supremum cœlum, & infimam terram, ponatur. Hic uero exultat Martyr, existimans se oportunam inuenisse rimam, qua elabatur. Contemplemur, inquieti, humanum corpus, id certè unum est, nec eius partes diuersam hypostasin habent, nec tamen est necesse, ut ubi est caput, ibi sint pedes, nec ubi sunt pedes, ibi sit cor &c. Primum, si singit corpus humanum esse personā, absque anima, insanit. Deinde, si singit animam hominis & pedes eius, similiter animam hominis & manus aut caput eius esse personam, opus habet Elleboro. Tot enim singit in uno homine personas, quot sunt in corpore eius membra. Nec Athanasius autem, nec nos singimus animam hominis constitutere singulas cum singulis membris.

bris personas. Sed animam hominis & corpus eius esse unam tantum & individuam seu inseparabilem personam, qua sit, ut dum homo est homo, necessarium sit, ibi esse corpus, ubi est anima, & ibi esse animam, ubi est corpus. Potest quidem anima cogitatione sua vagari per uniuersum orbe[m], relicto interim corpore in uno loco. Substantia autem seu essentia animae, incolumus hominis persona, a corpore nunquam abest. Quare sicut personalis unionis unio animae & corporis in homine ferre non potest, ut alicubi ponas corpus et animam simul, alicubi autem animam tantum absque corpore; ita personalis unio Dei & hominis in Christo non potest ferre, ut in uno statum loco ponas diuinitatem & humanitatem, in omnibus autem alijs locis solam diuinitatem. Ac profecto uerissimum est, quod Martyr hoc loco addit, Unio (inquietus) in eadem hypostasi, diversitate locorum non tollitur. Unde, ueritatē excidisse ei, credo, imprudenti. Nulla enim locorum diversitas tanta est, ut possit personalem diuinitatis & humanitatis unionem in Christo ita tollere, ut alicubi sit diuinitas, ubi non secum in eo ipso loco (& si ineffabili modo, sicut postea sequetur) habeat coniunctionem & unitam suam humanitatem. Nam quod in definitione personae, qua dicitur, personam esse individuam rationalis naturae substantiam, pro individuo intelligit, quod non possit dividiri in singularia, quid hoc ad institutum? Si enim persona sic individua substantia dicitur, quod non dividatur in singularia, quemadmodum genus & species, certe etiam sic individua dicitur, quod non possit manente unitate eius, in uarias partes dissecari, & in uaria loca dispergi, ut alicubi duabus partibus, alicubi una tantum constet. Quid multis opus, ut sciamus quod probè sibi Cingiani constent, Martyr postea scribit: Fra

Fol. 63.
 stra, in quiens, omnia hęc abs te interponuntur, quia nō semel dedi, ubi cunq; fuerit diuina hypostasis, eam habe resibi coniunctam humanitatem. Si ergo das, Martyr, quod ubi cunq; fuerit diuina filij Dei hypostasis, habeat sibi coniunctam humanitatem eius, certe necessariò sequitur, quod humanitas Christi sit ubiq;. Negari enim non potest, quin ea hypostasis, quae sibi humanitatem in inseparabilem et indivisibilem personæ unitatem copulauit, sit ubiq; & omnia implet. Sed quod Martyr una manu porrexit, altera iterum auferre uidetur. Mox enim addit: Cūm tamen (in quiens) humanitas ad tot loca non pertingat, quot diuina hypostasis implet, nec tam propterea soluitur unio. Hactenus Martyris uerba. An uero non uides Martyrem sibi in hoc negotio non cōstare? Si diuina hypostasis (quo nomine intelligo hoc loco personam filij Dei) ubi cunq; fuerit, habet sibi coniunctam humanitatem, quomodo, obsecro, humanitas Christi non erit, ubi cunq; fuerit diuinitas eius? Haec autem implet cœlum & terram. Quomodo igitur non habet sibi cōiunctam humanitatem, tam in cœlo, quam in terra? Cūm autem addit, quod humanitas non pertingat ad tot loca, quot diuina hypostasis implet, si intelligit humanitatem Christi non pertingere ad omnia loca corporali, mundano, & locali modo, qui cum pugnat: quid uociferatur? quid ista loquacitate opus? Quis enim est, qui humanitatem Christi corporali & locali modo in omnia loca extendit, aut cum diuinitate, ut ipsorum uerbo utar, coextendit? Ne diuinitatem quidem ipsam extendimus in omnia loca crasso, carnali & locali modo, qua igitur ratione sic coextenderemus humanitatē cū ipsa unitā? Non ignoro ueteres quosdā, cū de diuinitate omnia implete loquunt, uerbis extenden-

di, coextendendi, ac etiam diffundendi usos, sed obscurum non est, quod his uerbis, in hac quidem re, sint metaphoricas seu figuratae abusi. Sicut enim diuinitas dicitur quidem omnia implere, non autem intelligendum est de crasso, & corporali modo implendi: ita etiam dicitur in omnia loca extendi, aut diffundi, non autem mundo, & locali modo. Diuinitas enim res est simplicissima, & ubiunque est, ibi TOTA est, ut nequaquam crasse aut localiter extendatur & diffundatur. Quam insigne igitur nobis faciunt iniuriam, ne quid durius dicam, Cingiani, quod non uereatur publice nos infama re, perinde ac si humanitatem Christi cum diuinitate eius coextenderemus? Non extendimus, quemadmodum paulo ante diximus, diuinitatem, quod modo igitur humanitatem cum ea COextenderemus? Si autem Martyr intelligit humanitatem Christi, in uno tamen loco coniunctam cum diuinitate, in alijs uero locis solam esse diuinitatem, qualis est iste Proteus? quae uerborum Iudicia? Si hoc sentit, ut certe sentit, (hoc ipso redigens Christum in ordinem aliorum sanctorum, qui de ipsi habent diuinitatem sibi in uno tantum loco coniunctam) quid est, quod non uereatur scribere, se dare, idque non semel, VINCVNQVE fuerit diuina hypostasis, eam habere sibi coniunctam humanitatem? Nisi forte in hoc dicto suo intelligat nomine diuinæ hypostaseos, non tantum secundam personam in diuinitate, uerum etiam diuinitatem cum humanitate in Christo, ut sentiat, quod ubi est totus Christus, ibi sit etiam humanitas eius. Si ergo haec est sententia eius, Quis nescit, quod ubiunque est Christus Deus & homo, ibi etiam sit homo? Sed videamus nunc, quae obijcere soleant. Fatemur quidem (inquit) Christum esse unam personam, eamque omni maiestate

Dei

Dei ornatam, addimus autem correctionem, uidelicet, Fol. 16.
 quantum eius fert natura. In Christo enim sunt duæ di-
 uersissimæ naturæ diuina & humana, quarum altera est
 infinita, altera finita, quæ si minimè fert ut spiritus diui-
 nus fiat, nec etiam patitur ut sit immensa, cum dari non
 possit immensum corpus. Nam oportet, uelis, nolis, ut
 longitudine, latitudine, & altitudine terminetur. Non
 enim re ipsa poterit aliter constare, &c. Hæc & id genus
 multa alia solent nobis magno fastu obijcere, inculca-
 re, iterare, & nusquam non obtrudere. Etsi autem ea scri-
 ptis Lutheri aduersus Sacramentarios, & aliorum no-
 strorum ita sunt explicata, ut mirandum sit, qua illi teme-
 ritate & in cogitatione audeant ea tanq; noua, inaudita, &
 inexplicata, in publicum reuocare, tamen, cùm ipsis li-
 bet ueteres suas nærias repete re, non pidgebit nos uete-
 res quoq; refutationes in medium afferre, præsertim cù
 his temporibus addant horribilem uocem aduersus o-
 mnipotentiam Dei, & uociferentur: Nulla tu (hoc est) Fol. 6.
 ne omnipotenti quidem uirtute Dei fieri posse, ut cor-
 pus non sit in loco, aut ut sit simul in pluribus locis, seu Fol. 16.
 ubiq;, aut non terminet longitude, latitudine, & altitu-
 dine. Cogita ergo mihi, quām maligne sentiat illi de no-
 stro uel studio uel ingenio, quod existimat primum nos
 ignorare aut oblitos esse, quid Physica aut Mathemati-
 ca de natura corporum, iuxta huius seculi rationem, do-
 ceat. Deinde, nobis ignotum esse, quod persona Christi
 constet duabus diuersissimis naturis. Quis rerum non
 omnino imperitus illud ignorat? Quis priorum hoc
 negat? In præsentia autem, non differitur de corpore hu-
 mano simpliciter, sed de corpore, quod filius Dei sibi
 personaliter uniuit. Etsi enim diuina & humana natura,
 sunt inter se diuersissimæ substantiæ, quippe quod alte-

ra sit sp̄iritus creator, & infinitus ac imm̄elus, altera corporeā creatura, finita & dimensa, tamen h̄ae duæ naturæ seu substantiæ in Christo ita conueniunt & uniuntur, ut non duas personas, sed unam tantum constituant. Nec in uno tantum loco sint unitæ, sed ubi cunq; est diuina si Ihs Dei natura, ibi secum habeat humanam naturam inseparabiliter, & indissimiliter coniunctam. Si enim in uno tantum loco diuina natura Christi haberet sibi unitam humanitatem, & in omnibus alijs locis, sola diuina natura consisteret, quid rogo Christus, quemadmodum suprà ostensum est, differret à reliquis Sanctis, immo etiam à quibusvis hominibus? Nam diuina natura filij Dei, sicut implet cœlum & terram, præsentia, essentia, & potentia sua, ita etiam implet omnes homines, ac interea relinquit unumquemuis in suo certo ac circumscripto loco. Quare, nisi filius Dei copulauerit sibi hominem, quē sibi uniuit, multò arctius & præsentius, quam alios homines, cuiuslibet non potest, quin aut sentias Christum non esse uerum Deum, aut necesse habeas alios quoq; homines dicere ueros esse Deos. In philosophica disciplina manifestum est, quod finiti ad infinitū nullā sit proportio. Si autem hanc rationē sequareis, ne unq; quidem concedes filium Dei esse incarnatum, aut diuinam naturam uniuersitatem sibi humanam personaliter. Quare, et si maxima omnium est harum duarum naturarum inter se diuersitas, tamen in persona Christi sunt ita unitæ, ut altera ab altera nunquam in ullo loco separari queat. Et si aliquoties in hac persona, docendi gratia, separantur, non loco, sed solo intellectu separantur. Quid interea ad me, quod philosophi dicunt, Finiti ad infinitū nullam esse proportionē? Non iam ego in philosophia, sed in Theologia uersor, in qua Spiritus sanctus do-

JOANNES BRENTIUS.

cet, Verbum esse carnem factum, hoc est, filium Dei ita sibi humanam naturam uniuersitatem, ut sit una tantum, eaq; perpetuo inseparabilis persona. Diuersissimæ quidem sunt inter se naturæ. Sed in Christo inseparabiliter unitæ. Quæ unio, ut pugnat cum uniuersa humana philosophia, ita est miraculum omnia reliqua admirabilitate sua excedens. Non est obscurum, quod non diuina, sed tantum humana natura sit obnoxia passioni & morti. Et tamen in passione & morte Christi diuina natura, quæ in se est impassibilis & immortalis, tam præsenter affuit humanae naturæ patienti & morienti, ut ne tunc quidem personæ unitas sit separata. Nec affuit tantum sicut Stephanus, aut Petro, aut Paulo morienti, sed ita personaliter affuit, ut uerè dicat, Deum ipsum esse passum ac mortuum. Videamus, inquit Cyrilus, ipsam hōis aiam, si quid corpus passum fuerit, extra passionē quidem manente, quā tū pertineat ad naturā, attamē NON EXTRA PAS-
SIONEM ESSE intelligi, eo quod propriū sit corpus ipsius, quod patit, & licet incōtigua sit & simplex, tamē id quod patit, non alienum est. Sic intelligas etiā de Christo omnium salvatore (utar aut exemplis, que quasi per ænigmata nobis possunt ostendere) quod cōmunicarit quidem passioni unigenitus, quantū pertinet ad familiaritatē corporis sui, māserit autē passionis expers, ut Deus. Et iterū: Affirmamus propter familiaritatē quidem carnis eū infirmitates fuisse perpeſsum, seruasse uero suæ naturæ impassibilitatē. Hic recte & piē docet Cyrilus, quod Deus natura sua nihil patiat, & tñ propter familiaritatē carnis cōmunicarit passioni, & perpeſsus sit infirmitates. Idē dicēdum est de præsentia humanitatis Christi in celo & in terra. Etsi, n. solius diuinæ naturæ est imple-
re coelum & terram, tamē quia hæc natura uniuersit sibi in Christo

Cyrill. de
Incarnatio-
ne unigeni-
ti cap. 26.

Cap. 27.

Christo per incarnationem, humanam naturam personaliter, idcirco etiam humana natura uerè dicitur cœlum & terram implere, non quidem ex se ipsa, sed propter personæ unitatem. Disputet interea Philosophia quo modo natura finita & circumscripta posset uniti naturæ infinitæ & incircumscripctæ, nihil ad nos. Eadem enim ratione disputabit, quomodo Deus possit esse homo, & homo Deus. Ac profectò ne hac quidē in parte obscurum esse potest, quod cùm solius Dei sit, cœlū & terram implere, & illi negent hominem Christum implere cœlum & terram, non rectè intelligent, quid sit, hominem esse Deum, de qua re fortassis postea plura.

Hæc & id genus alia, quæ ad hanc rem attinent, cùm in príori libello de unione personali satis pro mea tenuitate luculenter exposuerim, non tamen potuerunt nec Martyrem, nec Bullingerum permouere, ut excitarentur ad personalem unionē diuarum naturarum in Christo rectè & piè expēdendam. Vociferantur enim, se nullo modo facere ex una persona, & ex uno Christo, duas. Sed unitatem personæ ita resinere, ut tamen retineant etiam naturarum diuersitatem. Hic etiam Bullingerus sibi, ut aliâs sâpe, triumphum decernit & trophæum erigit, ac uult pro repetitis habere, quæ antea è Vigilio ac Theodoreto recitauit. Deniq; hortatur Brētium, ne ipsi graue sit, à tantis uiris discere, ac scrupulum suum depoñere. Quin illud dicens Bullingere, Quid, nisi uictis dolor? Et lo triumphhe. Sed primū, memineritis uos Cingiani, quod iudicium Lutheri (illius uidelicet uiri, quæ ne uos quidem diuinitor, ad preferendam nobis faciem cognoscendæ uerae piæ doctrinæ excitatum negare auctor) de uobis publicè extet, quod & suprà recitauimus. Etsi (inquit ille) Cingiani plurimum gloriantur, quod hunc

hunc articulum de persona Christi credant, ac multa de
hac re garriant, tu tamen noli uerbis eorum fidem habe
re. Reuera enim mentiuntur, quæcunq; de his rebus ef
futiunt, etc. Deinde quod ad me attinet, nō opus fuisset
ista Bullingeri insolentia, qua ita mihi insultat, perinde
ac si ueterum patrū lectionem aspernarer. Amo enim
ueteres scriptores, ut qui maximè, & quid de ipsis senti
am, existimo pijs non esse ignotum. Sed habent illi suū
eumq; non supremum in Ecclesia gradum, ut primum
omnium discenda mihi sit pia doctrinā nec à Vigilio,
nec à Theodoreto, sed à Christo filio Dei, de quo Pater
coelestis dixit, HVNC AVDITE, & cuius uox in scri
ptis Propheticis & Apostolicis extat. Hæc illa sunt scri
pta, quæ possunt mihi molestos scrupulos eximere, &
quæ me in hac canicie ad refutanda uestra absurdā do
gmata alacrem effecerunt. Post hæc soleo etiam liben
ter tam ueteres quam̄ alios Ecclesiasticos scriptores in
consilium adhibere. Sed quid? Num quia deferenda est
eis sua honorificentia, quemadmodum Augustinus lo
quitur, idcirco in uerba eorum iurandum est? Certè ne
mo maiori contumelia eos afficit, quam̄ hi, qui ad stabi
liendos errores suos, autoritate eorum abutuntur. Cuius
rei exemplum est Bullingerus ipse. Recitat testimonia
Vigilij & Theodoreti, qui ut recte in his locis distinctas
naturarum proprietates in Christo commemorant, ita
prorsus nihil ad cōfirmandum somnium Bullingeri fa
ciunt. Quis enim nostrum unquam negauit proprieta
tes duarum naturarum in Christo esse distinctas? Sed il
lud negatur, has diuersas naturarum proprietates, esse
diuersis personis & locis distinctas. Vna enim est perso
na Christi. Et in hac una persona dissimiles proprietates
inseparabiliter ita coniunctæ sunt, ut haudquam lo

E co,

co, sed tantum intellectu distinguantur. Cum naturæ (inquit Nazianzenus) intellectu distant, simul diuiduntur etiam nomina. Et Gregorius Nyssenus: Intellectu (inquit) diuidente hoc, quod per misericordiam quidem unitum est, ratione autem discernitur. Et in Secunda Synodo Nicena, Epiphanius quispiam, Catholica, inquit, Ecclesia à confusione alienam Vnitionem cōfiteatur, & NATVRAS SOLA CONSIDeratione indūsim distinguuit. Vos uero Cingiani, non intellectu tantum, uerum etiam loco, adeoq; persona distinguitis. Collocatis enim Christum in cœlo diuinitate & humanitate, in terris autem tantum diuinitate. An hoc non est facere diuinas (quod in uobis est) personas? An non haec sunt distantissima loca? Credimus Eliam unā cum corpore suo uiuere cum Christo, in cœlesti regno, qui ppe quod & igneo curru ē terris sit sublatus, & apparuerit cum Christo in transfiguratione eius. Non est autem dubium, quin Elias & hypostasis filij Dei, ab æterno à patre suo geniti, sint duæ diuersæ personæ. Altera quidem Eliæ in cœlo tantum, altera autem filij Dei in cœlo & in terra. Nec est dubium, quin filius Dei, sicut implet diuinitate sua cœlum & terram, ita impleat etiam Eliam in cœlo. Vide ergo mihi, quid nunc necessariò sequatur, illud nimirū, quod cum Cingiani spargat eam, quæ est in Christo diuinitatem, tam in cœlo quam in terra, humanitatem autem eius collocent tatum in cœlo, manifestè faciant diuinas, ex una, personas, sicut & Elias, & diuinitas filij Dei, implens quidem Eliam in cœlo, sparsa autem in cœlo et in terra, duæ sunt personæ, diuersisque locis distinctæ, ita deoq; de Maiestate Christi nihil altius (quod ad hanc quidem partem attinet) quam de Elia, sentiant. In hoc enim uidentur nobiscum uerbis de Vnione duarum naturarum

rum

rum in Christo cōsentire, quod Christus constet ex duabus naturis, diuina uidelicet & humana, nec altera mutetur in alteram: Sed in illo non conuenit inter nos, quia Iis sit hæc Vnio, & quātum pateat, Num personalis, uel ut Paulus loquitur, corporalis & perfecta, An tantum vulgaris, qualiter Deus unitus est quibusvis sanctis hominibus? Dicunt enim diuinitatem Christi habere sibi copulatam humanitatem in uno rāturn loco; in reliquis autem omnibus locis separant humanitatem à diuinitate. Hæc non est personalis & perfecta, sed tantum vulgaris Vnio. Nos autem ex illo Euangelistæ dicto, & similibus, Verbum caro factum est, docemus Unionem ueræ & perfectæ PERSONALEM, ut ubiunque est diuinitas Christi, ibi etiam sit, (sed ineffabil modo) humanitas eius. Nam quod naturæ dicantur in Christo distinctæ, non idcirco dicuntur distinctæ, quod distinguuntur locis, ut alicubi sit diuinitas, ubi non habeat copulatam sibi humanitatem, sed quod naturæ nec sint mutantæ nec mixtae. Nomen autem naturæ, quemadmodum alias exposuimus, non est intelligendū, in hoc quidem argumento, pro rei accidentibus, sed pro rei substantia, ut Natura diuinitatis sit substantia spiritualis, intelligens, increata, & ab æterno. Natura autem humanitatis, substantia corporea, intelligens, & in tempore creata. In Christo igitur substantia diuinitatis non est mutata in substantiam humanitatis, sed manet utraq; ita inviolata, ut tamen in incarnatione altera sit alteri semper & ubique indissolubili nexu copulata & unita. Et quia Bullingerus obtrudit nobis alicubi sua priora scripta, que vult pro repetitis haberi, non pigebit etiam me hunc locum prioribus, non quidem meis, sed Lutheri uerbis, quæ & ipsa pro repetitis haberi uolumus, concludere. Sic enim

E 2 scribit

scribit ille, Necesse habes (inquiens) eam Christi existentiam, qua est cum Deo una persona, longissime, longissime inquam, extra creature collocare, adeoque tam longe, quam Deus ipse extra eas est. Et ecotram, tam profunde & propere in omnibus creaturis collocare, quam Deus ipse in eis est, quia est una & indivisa persona cum Deo. Aut enim necesse habet ibi esse ubi Deus est, aut fides nostra uana est. Quis autem est, qui posset cogitare, aut explicare, quomodo hoc fiat? Scimus quidem, quod Christus sit in Deo extra omnes creature, & una cum Deo persona, sed quomodo hoc fiat nescimus. Hoc mysterium superat ingenium & rationem omnium etiam Angelorum in celo, soli autem Deo cognitum & perspectum. Cum igitur hoc sit nobis incognitum, & tamen uerissimum, non prius negandum est uerbum eius, quam possumus certe probare, quod corpus Christi nullo modo queat ibi esse, ubi Deus est, & quod modus ille praesentiae, de quo diximus, sit falsus. Nam hoc Fanatici omnino probare debent. Sed non facient. Non (inquam) facient. Et iterum: Postquam Christus (inquit) est Deus & homo, & humanitas eius una est cum Deo persona, ideoque sic omnino totus in Deum super omnes creature assumptus, & exaltatus, ut ipsi sit quasi adglutinatus, respodere deberet Fanaticus spiritus, quomodo fieri posset, quod Deus alicubi sit, ubi non sit homo, & quomodo possibile sit, ut Deus absque personae diuisione in hoc loco sit sine humanitate, in alio autem loco cum humanitate, cum tamen non duos deos, sed unum tantum Deum agnoscamus, & is totus omnino sit homo, iuxta alteram quidem in diuinitate personam, uidelicet Filij. Quid enim profuerit, quod alias multa blateret, & ubi necessarium esset respondere, aliò transiliat & taceat? Si Deus

Deus & homo una est persona, & duæ naturæ inter se utræ unitæ, ut proprius sibi ipsi coniunctæ sint, quæcumque corpus & anima, certè necesse est, ut Christus ibi sit homo, ubi Deus est. Si est in uno loco Deus & homo, quam ob causam non esset etiam in altero loco Deus & homo? Si in altero, cur nō etiam in tertio, quarto, quinto, adeo que in omnibus locis? Si uero tertius, quartus & quintus locus non permittunt, ut sit simul Deus & homo, certè ne primus quidem, & unus locus permittit, ut sit Deus & homo. Nam si uel locus uel spaciū loci potest personam diuidere, certè id non minus faciet primus locus, quæcum omnia alia loca. Hic fuisset respondendum, & hoc urgebam, cum ostenderem, quod Deus & homo una esset persona, & Christus per hoc consecutus esset supernaturalem existentiam seu modum, ut esset in omnibus locis. Hactenus Lutherus.

Sed reuertamur ad id, quod instituimus. Vociferantur enim Cingiani, sicut diximus, quod hac unione nō possit fieri, ut corpus Christi, salua natura sua, extēdatur in infinitum. Corpus enim natura sua esse finitum. Et quanquam affirmant Deum contulisse in Christum omnem diuinitatis maiestatem & gloriam, tamen sic explicant, quod Deus non contulerit plura in eum, quæcum quatenus humana natura capax est proprietatum Dei, & cōditio eius ferre potest, uidelicet, ut interim proprietas humanæ naturæ non depereat aut euertatur. Prescribuntur etiam hic certi omnipotentiæ Dei fines, quippe quod ne diuina quidem potentia fieri queat, ut corpus Christi non sit finitum ac loco circumscriptum. Hæc & his similia inculcat, hæc repetunt, hæc ingerunt, hæc obtrudunt uel sexcenties: Sed quibus suam & inscitiam & incogitantiam orbī propinant. Neq; enim uidet, aut for-

tassis ne possunt quidem sic affecti uidere , aliud esse huius
 manam naturam per se esse capacem Maiestatis Dei,
 aliud eam posse diuinitus capacem fieri . Quod , ut ad
 huc clarius intelligatur , sicut antea exposuimus perso-
 nalem & inseparabilem duarum naturarum in Christo
 Unionem , ita nunc sumemus explicandam exaltatio-
 nem hominis in diuinam maiestatem , quam exaltatio-
 nem Athanalius recte uocat Assumptionem humanita-
 tis in Deum . Cum enim in Ecclesia sit sermo de incar-
 natione Christi , non solum dicitur , duas diuersas natu-
 ras in Christo esse personaliter unitas , uerum etiam dicitur ,
 humanitatem esse assumptam in Deum , & Chri-
 stum hominem concendisse , (sicut Cyrillus loquitur ,)
 ac eleuatum , exaltatum , & euectum esse in maiestatem
 Dei , adeoq[ue] factum esse Deum . Quid ergo haec sibi ue-
 lint , omnino explicandum est , idq[ue] ex oraculis Spiritus
 sancti , hoc est , e scriptis Propheticis & Apostolicis , ut
 perspicuum fiat , non solum , quantum pateat persona-
 lis unio duarum naturarum in Christo , & quatenus hu-
 mana natura sit capax proprietatum Dei , uerum etiam ,
 quod Cinglianu[m] uerbis quidem fateantur Christum esse
 Deum , argumento autem tacite ad eius abnegationem
 perducantur . Bullingerus ait : Si assumptus ille homo , e-
 uectus est supra omnes creaturas , desijt utiq[ue] esse crea-
 tura . Si autem creatura esse desijt , quomodo postea pro no-
 bis pati & mori potuit ? Expendamus , queso , hic uerba ,
 ut cognoscamus , quantum erroris Cinglianum dogma
 in se contineat . Si (inquit) assumptus ille homo euectus
 est supra omnes creaturas , desijt utiq[ue] esse creatura . Nul-
 lo modo autem concedendum est , quod Christus delie-
 rit esse creatura . Si em , inquit Bullingerus , creatura esse
 desijt , quomodo postea pro nobis pati & mori potuit ?

Nullo

Nullo igitur modo, secundum Bullingerum, cōcedendū est, quōd sit euectus supra omnes crēturas.

Hic nunc omnes pios, & in uera doctrina Christi eruditos appello, an hoc non sit palām, clarē, manifestē, dīsertē, & perspicuē negare, quod Psalmus ait; Omnia subiecisti sub pedes eius, Et Christus ipse: Data est mihi omnis potestas in cōcelo & in terra, Et Paulus: Sedere fecit eum ad dextram suam in cōcelestibus supra omnem principatum & potestatem & uirtutē, & dominium, & OMNEM Nomen, quod nominatur nō solum in hoc seculo, uerum etiam in futuro, Et iterum: Deus extulit illum in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat cōcelestium, terrestrium ac infernorum. Quid enim subleuari supra omnia, omnem accipere potestatem in cōcelo & in terra, euehi supra omnem principatum, & omne nomen, quod tam in hoc, quam in futuro seculo nominatur, & efferi in summam sublimitatem, ac donari nomine supra omne nomen, ut ab omnibus cōcelestibus, terrestribus, & infernis adoreris, aliud est, quam euehi supra omnes creature, & ornari omnidiuina maiestate, ac esse uerū Deū? Cū igit Bullingerus negat hoīem assumptū, euectū supra oēs creature, certe negat etiā eū euectū supra omne nōmē, & ornatū omnidiuina maiestate, adeoq; negat eū uerū esse Deū. Habes clariorē ipso meridiano sole abnegationē diuinæ maiestatis hominis à Deo in unā personā assumptī. Vel hic unus & solus locus admonere nos deberet, ut cognosceremus, quāta absurditatis Lerna in Cinglano dogmate lateret, et q̄ contento cursu fugiēdum effet. Q; si dixerit, Testimonia scripture, quae recitauimus, intelligēda esse de exaltatione Christi post resurrectionē eius à mortuis:

iam

iam hoc iterum esset negare hominem à Deo assumptū
 fuisse statim in cōceptione uerum Deum; & aliās expli-
 catum est, quod quam potestatē & maiestatē Chri-
 stus post resurrectionem dicit sibi datam, eam ante re-
 surrectionem quoq; ab initio suæ conceptionis habue-
 rit. Deinde Martyr ait, Filium hominis, id est, naturam
 humanam euectam esse ad infinitam potentiam, sapien-
 tiā, bonitatem & iusticiam, non facile dabo. Non igit
 tur facile dabit filium hominis euectum esse in summā
 sublimitatem, & in maiestatē Dei, ideoq; non dabit e-
 um esse uerum Deum. Exclamabunt de calumnia. Sed
 nihil prorsus fingo. Verba illa eorum in scriptis ipsorum
 palam extant. Et sententia eorum ex ihs, quę sequentur,
 manifesta erit, etiam si longe aliud uel scribant uel cogi-
 tent. Cæterę, ut in explicatione huius rei eum sequamur
 ordinem, quem in priori libello secutus sum, dicemus
 nunc de ascensu Christi in Cœlum, & de sessione eius
 ad dextram Dei Patris, Ex quo etiam manifestum erit,
 quid illud sit, quod ueteres dixerūt duas naturas in Chri-
 sto esse personaliter unitas, et humanitatem assumptam
 esse in Deum. Postquam enim ostendimus, ex persona
 li unioē duarum naturarum in Christo, quæ facta est in
 Incarnatione, necessariò seq̄ui, quod etiam si physica ra-
 tio non ferat, ut humanum corpus per se cōsideratum,
 non sit, nisi in loco circumscriptum, tamen assumptum
 à filio Dei in Vnitatem personæ, ibi sit, ubicunq; diuinis
 tas filij Dei fuerit, ostendemus nunc idem, propicio Deo,
 ex Ascensu Christi in cœlum, & sessione eius ad dexte-
 ram Dei Patris sui. Ac, ut statum causæ iterum, sed pau-
 cis, repetam, non agitur in presentia, de eo ascensu Chri-
 sti in cœlum, qui factus est quadragesimo à resurrectio-
 ne die, in monte Oliueti, uidentibus coram discipulis
 mirandam

mirandam illam corporis Christi eleuationem usq; ad
 nubes. Hoc spectaculum, ut fuit locale, ita & fuit uisibi-
 le, ac à Christo institutum, partim, ut significaret se nunc
 externarum & mundanarum apparitionum, quibus ha-
 ctenus corā discipulis quadraginta diebus, una loquen-
 do, ambulando, & uescendo ueritatem resurrectionis
 suæ comprobauerat, finem facere; partim ut testaretur,
 regnum suum non esse terrenum, & mundanum, sed
 spirituale & cœleste, quod nullis nec locis circumscribi,
 nec temporibus definiri potest. Illud autem agitur, quod
 sit cœlum & regnum Dei Patris, in quod homo Chri-
 stus à resurrectione sua intrauit, immo cuius ius & possesi-
 onē iam inde ab initio Incarnationis habuit, & se exter-
 no suo ascensu, uersus nubes, habere testificatus est. Hic
 Bullingerus & Martyr sua habent, eaq; crassissima som-
 nia. Fingunt. n. ultra cœlos uisibiles esse latissimam quā
 dam Regionem, eamq; locorum interuallis distinctam
 (campum fortassis Elysium, qualem Ethnici somnia-
 runt, aut eiusmodi spaciū, quale Aristoteles rebus su-
 is, optimam uitam ducentibus tribuit) in qua regione
 non solum angeli suo quodam modo, & homines bea-
 ti, corporali habitatione commorentr, uerum etiam
 Christus ipse aut sedeat, aut stet, aut ambulet, & progre-
 diatur. Bullingerus in priori libello de cœlestibus man-
 sionibus ait: Non dicitur alligatum esse in cœlo, sed dī Fol. 16.
 cimus uerè è terris sublatum, in cœlo nunc uersari libe-
 rē (En liberè diximus, & dicitur semper) pro ratione
 gloriōsi corporis. Ideoque corpus eius in cœlo nec stare
 semper, nec sedere perpetuò, sed prout uult, aut ubi cun-
 que locorum uult, & ratio æternæ salutis & gaudij di-
 stat, liberrimè uersari. Et iterum: Cœlum, inquit, gloriae Fol. 40.
 Dei prædicamus amplissimum atq; patentissimum lo-
 cum,

F cum,

cum, ut in quo mansiones sint quam plurimæ. Quare nec Agno (Christo) nec Sanctis obstat quicquam, quin PERGANT, EANT, STENT, aut SEDEANT per amplissimas & beatas coeli sedes, prout libitum fuerit, &c. Bullingerum sequitur Martyr, & dicit: Ego profecto affirmabo, corpus Christi esse in aliquo certo loco externi coeli, sed latissimo & amplissimo, ubi liberum sit ei STARE, SEDERE, AMBVLARE, atque ut libuerit incedere, &c. Hactenus Martyr, priusquam igitur pergamus, diligenter obserues, nos in praesentia non loqui de ea potestate, qua Christus potest se in certo loco ostentare, & uisibilis, siue stans, siue sedens, siue ambulans, pro humano captu, & mundano modo apparere, quemadmodum uisus est Stephano & Paulo. Quis enim hanc Christo potestatem admeret? Sed loquimur de perfecta & perpetua eius Maiestate, qua in coelesti regno, supra omnem humanum captum fruitur, & in qua Cingiani sentiunt, eum localiter stare, sedere & deambulare. Hoc si quererem, ecquando illi ex cœlo descendisse & coram uidissent, Christum unum cum Sanctis & angelis suis hinc inde deambulare, non immerito audirem, Quid tu curiosus ista requiris? Certe cum facerem mentionem cœli Thalmudici & Mahometici, ac pictarum tabellarum, nihilo mitius, aut ciuilius excipior. Requirit enim in me homine senec & Theologo, Bullingerus (homo scilicet insigne modestiae & grauitatis exemplum) senilem modestiam & Theologicam grauitatem. Sed iudicent, queso, omnes p[ro]p[ter]e, num ego quicquam in leges modestiae & grauitatis peccauerim, quod eum, qui pueribus & ficticij somnijs de externis, corporalibus & localibus Christi, ac Sanctorum in cœlo deambulationibus, in nos insultat, alacriori risu excipiam? Et quid ego facerem,

facerem, cum Bullingerū ipsum ferē pudeat eius, quod
de itionibus, reditionibus, sessionibus ac stationibus
Christi in cœlo illo suo scripsit. Cūm enim antea palam,
luculenter & expressè affirmauerit, nec Christo nec san-
ctis quicquam obstat, quin pergam, eant, stent aut se-
deant, per amplissimas & beatas cœli sedes, prout libitū
fuerit, Nunc quasi sese reuocans, An ambulet (inquit) In posterio
Christus in cœlis, an sedeat, an stet, an in colle, uel humili- libello,
li situ se contineat? Hæc & similia nec quærimus nec dī fol. 19.

scutimus, aut discutiētibus consentimus. Hactenus Bul-
lingerus, qui cūm inconstantiam suam suis ipsius uer-
bis testificetur, quid opus est, ut ego pluribus explicem.
Si enim nec quærit, nec discutit, nec discutientibus con-
sentit, num Christus in cœlo sedeat, an stet, an ambulet,
que est illa incogitantia, contendere, quod sit necessariō
in certo loco circumscriptus, in quo, cum nō sit captiuus,
sedeat, stet, aut ambulet, localiter, prout ei uisum fuerit?
Et si Bullingerus permittit sibi talia de Christo affirma-
re, quid est, quod irascitur Scholasticis, qui singūl in cœ-
lo choreas, ac in primis Alphæo Valesiano, qui profe-
cto nec inepte nec importunè fabulas Scholasticorum
de choreis in cœlo ad finem mei scripti recitauit. Si em̄
Christo nihil obstat, quo minus cum Patriarchis & reli-
quis Sanctis suis in cœlo deambulet, quid obstat, quo
minus etiam cum Matriarchis & uirginibus suis in cœ-
lo saltet ac choream ducat, præsertim cum incredibili
lætitia perfundantur? Sed relinquamus hæc (ut Etymo-
logias quoq;) Scholasticis discutienda. Illud (inquam) in
præsentia agitur, quid sit illud cœlum, quæ sit illa maie-
stas & felicitas, ad quam filius Dei eūexit & exaltauit fi-
lium hominis, ab ipso in eandem personam assumptū.
Non scrutamur curiosius secreta sanctuarij Dei; sed ex-

plicamus & tuemur ueritatem scriptis Propheticis &
 Apostolicis patefactam, aduersus Aristotelicos Philo-
 sophos, & crassos de cœlestib. rebus somniatores. Post
 quam igit̄ Christus resurrexit à mortuis, & priusquam
 ascendit uisibiliter in cœlum, & discipulis suis apparuit,
 ubi, queso, interea, dum non apparuit, erat: aut cum in
 ascensu suo uisibili nubes subduceret eum ab oculis dis-
 cipulorum, quorsum, obsecro, peruenit? Nūquid pro-
 gressus est locali motione de orbe in orbem, donec per-
 uenit ad cœlum illud corporale, spirituale, locale: (Hæc
 enim dicuntur ab illis de cœlo suo Empyreo) in quo de
 inceps stet, sedeat, aut cum sanctis suis aliquoties deam-
 bulet: Ac profectò Christus, iuxta Martyrē, neceſſe ha-
 buit, à nube, non momento, sed locali progressu ad cœ-
 lum illud Empyreum peruenire. Sic enim dicit. Nullus
 motus localis cuiusvis corporis momento fieri potest,
 sed oportet, ut suam habeat successionem, seu continu-
 ationem, & antea pertingat medium, quam ad extre-
 mum perueniat, &c. Evidē scio Christum ingressum
 esse in cœlum, & commorari (ut ita dīcam) in cœlo, scio
 eum in cœlo ad dextram Dei Patris sui sedere, scio eunt
 apparuisse Stephano stantem à dextris Dei: scio de hac
 re extare perspicua sacræ scripturæ testimonia, & agno-
 sco ea esse uerissima ac certissima. Quare non opus erat
 ad ea respondere, quod mihi alicubi satis odioſe expro-
 brat Bullingerus, sed illa, quæ ex his scripturæ testimo-
 nijs fingit, nec scio nec approbo. Vbi enim scriptura tra-
 dit, Christum in cœlo iuxta iteram & cœlestem, ac diui-
 nam suam maiestatem, sedere Physica locatione, stare
 corporali modo, & deambulare locali motione? Hæc il-
 la sunt somnia, quæ isti pro sua humana ratione, maiesta-
 ti Christi in cœlo affingunt. Non affingimus, inquiunt,
 sed

sed ex ipsa humani corporis natura colligimus, quod
 non potest uerum esse corpus, nisi sit in loco, & mouea/
 tur localiter. Quicunque (inquit Martyr) uel miccam habet
 prudetie, nolunt corpus Christi in loco aliter esse, quam
 localiter, & circumscriptiue. Et rursus: Cum de loco, inz
 quit, agimus, & illum humanae Christi naturae compa/
 ramus, nec possumus, nec debemus a geometrico spa/
 tio cogitationes reuocare, cum humano corpori etiam
 Christi, locus tantum hoc modo cōuenire queat. Vides
 ergo, optime lector, quibus axiomatis isti homines sint
 fascinati, uidelicet, quod humanum corpus non possit ue/
 rum corpus manere, nisi sit in loco localiter, idque tam fir/
 mum existimant, ut ne Deus quidem ipse omni sua po/
 tentia queat corpus substantia sua saluum absque loco, &
 locali circumscriptione conseruare. Ex his architectan/
 tur cœlum suum locale, ex his somniat in cœlo esse Phy/
 sicas locationes, stationes, progressiones, ac fortassis eti/
 am retrogressiones, quales sunt Planetarum. Hæc sunt
 fundamenta, propter quæ ueram & substantialem pre/
 sentiam corporis & sanguinis Christi, è Coena eius pro/
 turbant. Sed ut hic perniciosus error aduersus omnipo/
 tentiam Dei & maiestatem Christi clarius intelligatur,
 pergemus in instituto. Scriptura, n. non tradit, quod Chri/
 stus, postquam ascedit in cœlum uisibiliter, & suscep*tus*
 est à nube, progressus sit Physica motione per orbes Pla/
 netarum, & per firmamentum, usque in cœlum illud Em/
 pyreum, latissimum quidem, ut illi dicunt, suis autem
 spacijs circumscriptum, sed quod confederit à dextris
 Dei. Et si rem ipsam recte expendas, illud ascendere in
 cœlum, postquam Christus suscep*tus* est à nube, signifi/
 cat, ad dextram Dei considerare. Apud Marcum enim
 dicitur, DOMINVS postquam locutus fuisset eis, rece

Fol. 66.

Fol. 59.

ptus est in cœlū, & consedit à dextris Dei. Et magis per spiculē in Actis Apostolicis cap. 2. Non Dauid ascendit in cœlos, sed dicit ipse, Dixit DOMINVS Dominō meo, sede à dextris meis. Hic manifestum est, quod Petrus ascendere in cœlos interpretetur per considere à dextris Dei. Quæramus igitur nunc quid sit dextra Dei, & quid sit sedere ad dextram Dei, ut sciamus, & ubi Christus sit querendus, & ubi inueniri queat. Dextera enim Dei, de qua fit sermo, in hoc religionis nostræ articulo, Seder ad dextram Dei, non est certus locus in corporeo & locali cœlo, quemadmodum Cinglianī imaginatur, nec est talis tantum felicitas, qualis in cœlesti regno continget omnibus in Christum credentibus, sed est summa & infinita Dei maiestas, atq; omnipotētia eius.

Psal. 43. Manus tua gētes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos. Nec n. in gladio suo possederunt terrā, & brachium eorum nō saluauit eos; sed DEXTERA TVA & BRACHIVM TVVM & illuminatio uultus tui, &c. Hic audis Manū, brachiū, & dextram Dei. Et opponuntur per antithesin, manui, brachio, & dextræ hominum, quæ cùm sint impotētia, necessariò sequitur ea in Deo esse omnipotentia.

Psal. 97. Cantate Dño canticum nouum, quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera eius, & brachiū sanctum eius. Hic dextera Dei & brachiū eius faciūt mirabilia, & saluant. Dextera igitur Dei non est nisi omnipotētia.

Psal. 117. Dextera DOMINI fecit uirtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera DOMINI fecit uirtutē.

Esaiae 48. Manus mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos. Non potuit autem nec cœlum mensurari, nec terra fundari, nisi per omnipotentiam Dei. Dextera igitur Dei est omnipotētia Dei.

Quid

Quid plura? Nusquam non occurunt loca in scriptis Propheticis & Apostolicis, quibus comprobatur, quod summa Dei maiestas, & omnipotentia eius intellectu dignata sit nomine dextræ eius. Hæc etsi cuius obuia sunt, tamē uisum est quædam repeteret, propterea quod Cingiani ista insigniter dissimulent, & lectorem suis de natura corporum concionibus longè alio abducere soleant.

Bullingerus duplēm facit significationem dexteræ Dei: & cōfitetur quidem uerbis, se agnoscere dexteram Dei esse omnipotentiam & maiestatem Dei, & Christū cōscendēdo ad dexteram Patris, assecutum esse dignitatem supremam, ac transcedisse omnem principatum ac potestatem, esseq; regem summum, & Deum uerum in gloria, per quem omnia fiant, gubernentur & conseruentur &c. Sed interim repræhendit Brentium, quod non agnoscat alterā dexterā Dei significationem, quā dicit esse certum in cœlo beatitudinis locum. Cū autem ego requiro, & expecto firma huius posterioris significationis dexteræ Dei testimonia, ecce tibi clamorē quidem multum, sed pro thesauro, carbones. Adducit enim Cyprianū, qui dixit, Sedere ad dexteram Dei Patris, carnis assumptæ mysterium est, nec diuina, sed humana natura sedem cœlestem cōquirit. Quid? Hoc cīne est probare dexteram Dei significare certum locum in cœlos? Dicit quidem Cyprianus, Non diuina sed humana natura conquirit sedem: sed cū addit, cœlestem, eo ipso significat, se non loqui de sede quadam terrena, hoc est, circumscripta, quæ superficie corporis continentis localiter cōcludatur, sed alludere ad dictum illud Esaiæ: Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum, Hanc sedem nō conquisiuit diuina natura in Christo,

sto, quippe quod eam iam inde ab initio rerum conditionis possederit, sed conquisiuit humana eius natura, cui ea sedes, mox in incarnatione, qua filius Dei filium hominis in unitate personae assumpsit, data est, id quod postea in resurrectione a mortuis, in ascensu in cœlum, & missione Spiritus sancti patefactum est, adeoq; in no uissimo die clarius ita patefiet, ut omnes p̄ij facie ad faciem cognoscant. Quam autem conditionem hæc sedes habeat, suo loco explicatur, certè re ipsa aliud non est, quam summa maiestas, qua Deus omnia gubernat, & ad quam Christus homo collocatus est. Vides ergo quam patrocinetur figmento Bullingeri Cyprianus.

Addunt & Theodoretum, qui dixit, Sedere in throno glorie, & statuere quidem agnos à dextris, hædos uero à sinistris, id quod circumscriptum est, significat. Hæc recitantur aliqua ex parte ex Matthæi uicesimo quinto cap. Sed considera mihi, obsecro, quam aptè ad hoc institutum accommodentur. Primum, existimas ne, in extremo iudicio, quod est futurum perpetuum, nec ullum unquam finem habebit, tam crassum fore spectaculū, ut instituatur externum tribunal uel in his terris, uel in nubibus, ad quod utrinque stent partes, quale quid in his mundanis consistorijs fieri solet? Quis ad tam pueriles & aniles cogitationes nō rideret? Nam, quod Christus apparitus sit in nubibus, & iudicaturus orbem terræ, ex scriptura manifestum est. Hæc autem apparitio non erit manifestatio totius maiestatis Christi, sed œconomia, ad tempus usurpata, ut impij uideant, quem contemperint & quem confixerūt, & p̄ij rapiantur ei obuiam. Nam, quod ad iudicium attinet, mutuata quidem sunt uerba descriptionis eius ab humana consuetudine, sed reuera erit cœlestē & perpetuum, quod oculus non uidit,

dit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, ideoque haudquam uerè dici potest, esse loco circumscriptum. Deinde, cum sermo est de illo religionis articulo, Christus sedet ad dexteram Dei, non queritur de dextra Christi filij hominis, sed de dextra Dei Patris. Discutum autem illud, quod ex Mattheo allegatur, loquitur manifeste de dextra Christi. Cum uenerit, inquit, FILIUS HOMINIS in gloria sua, statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Statuet, inquit. Quis est Filius hominis. Et ubi à dextris. Cuius suis filij uidelicet hominis. Quid ergo tu mihi obtrudis dextram filij hominis, cum ego quærām de dextra Dei Patris omnipotētissimū. Habes iterum, q[uod] aptè citē locus ex Mattheo, ut probet, dextrā Dei Patris significare in hoc articulo, (Se det ad dextram Dei) certum & circumscriptum locum.

Adducit etiam Augustinum, sed in quem usum, nō video, nisi forte, ut nobis arma porrigit, quibus ipsum conficiamus.

Augustinus dicit, dextram Patris esse beatitudinem perpetuam, quæ Sanctis datur. Quis autem negat Christum præter alias causas, etiam ideo cōsedisse ad dextram Dei Patris, & consecutum esse æternam beatitudinem, ut haberet eam communem cum omnibus membris suis, quæ sunt credentes in ipsum? Ergo ne hinc sequitur, dextram Patris esse certum & circumscriptum locum? Quæ est hæc ueritas? Si ad hunc modum licet dicta sacrae scripturæ & Patrum allegare, nihil tam absurdū, nihil tam impium est, quod non ē scriptura & Patribus probare tibi uidearis.

Dicit item Augustinus: Tametsi corpus Domini, quod de sepulchro excitatum leuauit in cœlum, non nisi specie humana, membrisque cogitamus, non tamen ita

putandum est, sedere ad dextram Patris, ut ei Pater ad sinistram sedere uideatur. In illa quippe beatitudine, quæ omnem superat humanum intellectum, sola dextera est, & eadem dextera eiusdem beatitudinis nomen est. Iubet hic Augustinus in consideratione dexteræ Dei Patris, abstinere ab humanis cogitationibus. Affirmat beatitudinem illam superare omnem humanum intellectum: dicit in ea solam esse dexteram, non autem sinistram. Quid ergo Bullingerus somniat de loco circumscripto, qui humana cogitatione & intellectu facile concipi potest? Quid nobis supra ex Theodoreto de sinistra Dei opposuit, cum Augustinus dicat, hic solam esse dexteram? Vides ergo Bullingere, quam dextræ tuam dexteræ significationem è scriptura & Patribus probaueris. Sed quid multis opus? si concedis dextram Dei, ad quam sedet homo à Deo assumptus, significare omnipotentiam & maiestatem Dei, certè eo ipso negas significare certum & circumscriptum locum. Omnipotentia enim & maiestas Dei (quo nomine comprehenditur etiam æterna eius beatitudo) non est certus & circumscriptus locus, sed gloria, nullo nec loco, nec tempore, nec cœlo, nec terra, definita. Reliquum igitur est, quod, ut nomine dexteræ Dei non uenit certus & circumscriptus locus, ita præcipuum fundamentum, quo nouum & inauditum Bullingeri dogma de dextra Dei, constare uidebatur, concidat necesse est.

Postquam igitur manifestum est, quid per dextram Dei significetur, uideamus nunc, quid sit ad dextram Dei sedere. Hic non sunt audienda Cinglianorum somnia, sed spiritus sancti oracula. Sedere enim ad dextram Dei, non est sedere, stare, aut deambulare in certo loco corporalis cœli, sed est ornatum esse æquali maiestate & omnipotenti

mnipotentia Dei. Quare cum de Christo dicitur, quod
 confederit ad dextram Dei, non est intelligendum, quod
 tantum secundum aeternam suam diuinitatem sit aequa
 lis cum Deo Patre maiestatis & omnipotenti. Sed quod
 etiam secundum suam humanitatem aequalis sit maiesta
 te & omnipotentia praeditus, & tamen nec substantia di
 uinitatis mutatur in humanitatem, nec substantia hu
 manitatis mutatur in diuinitatem, sed utraque substantia
 manet in eadem persona inviolata, et immutata, accipit
 autem humanitatis substantia noua eaque coelestia, immo &
 diuina ornamenta. Nam quod Cinglani dicunt huma
 nitatem Christi non esse omnium ornamentorum, uel
 sicut ipsi loquuntur, proprietatum Dei capacem, quid
 sit, & quantum homini Christo detrahatur, ex his, quae se
 quuntur perspicuum fiet. Prosequamur ergo quod in
 stituimus. Christus enim non tantum ut uerus ab eterno
 Deus, sed etiam ut uerus in tempore natus homo cosedit
 ad dextram Dei: idque non solum ad dextram vulgaris fa
 licitatis, qualiter etiam Sancti in coelesti regno sedebunt:
 nec in uno tantum certo loco, in quo interdum stet, in
 terdum sedeat, interdum deambulet: mirum, si non in
 terdum secundum ipsos iaceat quoque, & caput suum in
 lectum reclinet, Verum etiam cosedit ad dextram maie
 statis & omnipotentiae Dei, ut sit cum Deo Patre aequa
 li maiestate & omnipotentia. Sic enim Christus ipse te
 statur. Amodo (inquietus apud Matthaeum) uidebitis Fi
 lium hominis sedentem a dextris VIRTUTIS. Et ite
 rum apud Lucam: Ex hoc tempore erit Filius hominis
 sedens a dextris VIRTUTIS DEI. Aperte hic uides,
 quis & ad quam Dei dextram sedeat. Dicit enim, FILI
 VS HOMINIS. Christus igitur non tantum aeterna
 sua diuinitate, sed etiam humanitate sedet ad dextram,

non inquit, uulgaris fœlicitatis, aut certi loci, in quo aut
stet, aut ambulet, sed VIRTUTIS, hoc est, omni poten
tia Dei, ut ubiunque Deus fuerit cum sua uirtute & om
nipotentia, ibi quoque sit Christus homo. Et ad Hebre.
cap. i. dicit Apostolus, Consedit in dextera maiestatis,
in excelsis, non ait, Consedit in dextera certi loci, in coe
lo corporeo, sed consedit in dextra MAIESTATIS,
IN EXCELSIS, hoc est, in celesti regno, in quo omni
Dei maiestate ornatus est. Inter diuinæ autem maiestat
is genera non continentur tantum omnipotētia (etiam/
si hoc nomine non absurdum esset omnia ea genera cō/
prehendere) sed etiam (libet enim docendi causa sic lo
qui) omniscientia, omnisapiencia, adeoq; omnipræsen
tia. Quare Christus homo ad dextram Dei sic conse
dit, ut non tantum factus sit omnipotens, uerum etiam
omnisciens, omnisapiens, & omnipræsens. Nam quod
ille fidei nostræ articulus, Seden ad dextram Dei Patris,
hanc habeat sententiam, exponit Spiritus ipse sanctus
in Propheticis & Apostolicis scriptis. Psalm. 8. Quid est
homo, quod memor sis eius, aut filius hominis, quod
uisites eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis,
gloria & honore coronasti eum, & constitueristi eum su
per opera manuum tuarum. OMNIA subiecisti sub
pedibus eius &c. Hunc Psalmum intelligendum esse,
non simpliciter de quo quis homine, sed de Christo ipso,
testantur Paulus i. Corint. 15. Ephe. 1. Et Epistola ad He
bre. cap. 2. Et illud quod in eo Psalmo dicitur, Gloria &
honore coronasti eum &c. intelligendum esse non de ca
Christi maiestate, quam habuit ab æterno à Deo Patre
suo, ut uerus Deus, sed quam accepit, ut homo, satis a
pertè probat, quod paulo antè dictum est: Quid est ho
homo, quod memor sis eius, aut filius hominis, quod
uisites

uisites eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Christus igitur homo, qui præbuit seipsum humilem, & factus est obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis, tanta gloria & honore coronatus est, ut Deus sub iecerit OMNIA sub pedibus eius. Et addit Epistola ad Hebr. In hoc (inquietus) quod subiecit ei OMNIA, NIL omisit illi non subiectum, nec quicquam aliud exceptavit, ut Paulus ait, præter seipsum, qui illi omnia subiecit. Primum ergo, si Deus OMNIA (præterquam se ipsum) subfecit homini Christo sub pedibus eius, quomodo non dedisset ei potestatem omnia coram praesentia habendi & gubernandi? Deinde si omnia sunt ei subiecta, certe subiecta sunt ei cœlum & terra, & omnia, quæ in eis sunt. Sunt autem in eis, corpora, locus, tempus, & quicquid est harum rerum. Quare necessario sequitur, quod Deus dederit homini Christo potestatem in omnia corpora, loca, & tempora, ut & corpora cum locis, ac sine locis, & loca cū corporib. & sine corporib. si cut uno momento perdere, ita etiam conseruare possit.

Hoc & Christus ipse confirmat: Data est mihi (inquietus) OMNIS potestas in cœlo & in terra. Data est igitur ei potestas etiā in corpora & loca, ut queat ipsa, pro suo arbitrio, & coniungere & separare, adeoq; omnia intueri & omnibus præstò adesse, & uel conseruare, uel si ita videbitur, annihilare. Itaq; manifestum est, quod sedere ad dextram Dei, sit omnia habere sibi subiecta, & accipisse omnem potestatem in cœlo & in terra.

Ioannis 17. precatur Christus Deum Patrem: Nunc, inquietus, glorifica me tu Pater apud temetipsum, GLORIA, quam habui, priusquam hic mundus esset, apud te. Non est inanis precatio, sed quod petiit, hoc & impetravit. Et impetravit id non diuinitati, quæ habuit gloriam

riam ab æterno, sed humanitati. Quæ est ergo gloria illa, quam Christus petiit in se reuelari? Gloria, inquit, quā habui, priusquam hic mundus esset apud te. Habuit autem Christus filius Dei illam gloriam ab æterno, quod sit omnipotens, & cum mundus crearetur, omnia impletens, omnia coram gubernans, omnī beatitate & fœlicitate fruens. Precatur igitur Christus, ut & humanitas eius hac gloria & maiestate ornetur, aut potius, ut in ipso reueletur, uidelicet, quod sit omnipotens, omnia impletens, omnia conseruans, & coram gubernans, adeoq; omni fœlicitate fruens.

Ephe. i. Ut sciatis, quæ sit excellens magnitudo potentiae illius (Dei) in nos, qui credimus secundū efficaciam roboris fortitudinis eius, quā exercuit in CHRISTO, cùm suscitaret eum ex mortuis, & sedere fecit ad dextram suam in coelestibus, supra omnē principatum, ac potestatem & uirtutē, & dominium, & OMNE NOMEN, quod nominatur, non solum in hoc seculo, uerum etiam in futuro, & OMNIA subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.

In hoc loco Paulus manifestè describit, & interpretatur, quid sit Deum unire sibi hominem personaliter & Christum sedere ad dextram Dei. Primum enim cùm dicit, quod Deus exercuerit seu demonstrauerit efficaciam fortitudinis sue in Christo, cùm suscitaret eum ex mortuis, perspicue significat, se loqui de ea maiestate, quæ data est humanitati Christi. Diuinitas enim non est suscitata à mortuis, sed humanitas. Deinde clare docet, eam humanitatem collocatam esse ad dextram Dei, id que non in terra, terreno modo, sed in cœlo, cœlesti modo.

do: Quid ergo est tali modo ad dexteram Dei collocari?
Illud nimirum est, quod sequitur, uidelicet collocari super
prae omnem principatum, potestatem, uirtutem, domi-
nium, ac OMNE NOMEN non solum in seculo hoc,
uerum etiam in futuro. Similiter est subiecte omnia sub
pedes eius, & dare eum caput Ecclesiæ, adeoque sic effe-
re eum, ut omnia in omnibus adimpleat. Quid de Maiestate
humanitatis Christi sublimius dici potest? Cuius ho-
mo Christus confedit ad dexteram Dei, exaltatus est,
Primum, super omnem humanam & terrenam seu po-
testatem seu dignitatem, adeoque quicquid rerum uel su-
premarum, uel infimarum in hoc externo & munda-
no seculo inter corporales creaturas, nominari potest.
Inter has autem creaturas nominatur etiam LOCVS,
nominatur & cœlum illud corporale nobis ob oculos
positum. Manifestum igitur est, quod homo Christus
in Maiestate sua, nullo uel loco uel cœlo corporali seu
Physico contineatur, & localiter circumscribatur, sed sit
super hæc omnia exaltatus. Alioqui enim, si necessari-
um esset, ut Christus aut humanitate sua circumscirbe-
retur corporali loco, aut si hoc non fieret, non posset tie-
rus homo manere, quemadmodum Cinghiani somni-
ant, quid aliud sequeretur, quam quod natura loci &
corporis dominaretur in Christum, & non Christus in
locum & corpus? Atqui Christus sessione sua ad dexte-
ram Dei accepit principatum, potestatem, uirtutem, &
dominationem super omne, quod in hoc seculo nomine
habet. Habet autem & locus nomine, habet & corpus no-
men. Reliquum igitur est, quod habeat etiam domina-
tionem in locum, & corpus, & possit pro sua omnipro-
tentia uoluntate sele cum corpore suo uel absque omni lo-
co confirmare, uel in quoquis loco patefacere. Deinde
Christus

Christus exaltatus est non solum super omnes creaturas corporales & uisibiles, sed etiā super omnes creaturas spirituales & inuisibiles, quae nominari possunt, adeoq; super omnem principatum & dominationem, tam inter spiritus sanctos, quam inter spiritus in tartarum prēcipitatos, quocunq; nomine vocentur. Qui tanta est potestate prædictus, ut dominetur omnibus spiritibus, quorum uel unus una nocte potuit in exercitu Sanneherib regis Assyriorum centum octoginta quinque millia virorum interficere, quomodo non dominaretur etiam locis Physicis, ut absque his substantiam corporis sui incolumem conseruare posset? Postremo dicit Paulus Christum hominem ita exaltatum esse, ut Deus non solum dederit eum caput Ecclesiæ, uerum etiam subiecerit sub pedes eius omnia, ut OMNIA in OMNI BVS adimpleat. Nam, quod ait, Ecclesiæ esse comple mentum eius, qui omnia in omnibus adimplet, certe loquitur de Christo homine, de quo cùm dicatur Ecclesiæ esse corpus, seu complementum eius, de ipso etiam intelligendū est, quod additur, Ut omnia in omnibus adimpleat. Adimplet autem humanitate sua omnia, non crasso, non mundano, non locali, non extenso, nec coextenso, sicut Cingiani nos sentire perhibent, sed cœlesti, sed diuino, eoq; modo, quem incarnatio Christi, seu personalis unio diuina ac humanæ naturæ in Christo, nobis obedienti fide credendum, non carnali ratione inuestigandum proponit.

Nec uero negandum est, quin Paulus, cùm dicit, ut omnia in omnibus adimpleat, loquatur etiā de diuinitate Christi. Sed quia ea assumptis humanitatem, & unitis sibi eam, in unam & eandem ac inseparabilem personam, adeoq; extulit ipsam in tantam maiestatem, quam

tam Paulus cōmemorauit, manifestum est, quōd eam secum p̄sēntē habeat in omnibus, quae adimplēt. Huc etiām facit, quod Paulus postea dicit: Qui descēdit idem ille est, qui & ascendit super omnes cōlos, ut impleret omnia. Hunc Pauli locū cū in priori scripto ad comp̄bandam ueram Christi omnipr̄sentiam recitarem, & ex circumstantijs certam eius sententiam explicarem, non illud effectum est, ut Cinglianī oculos aperire, & errorē suum agnoscere inciperent, sed potius acceperunt occasionem perspicuē dictum obscurandi, & in uarias sententias discerpendi. Nam quemadmodum Rabini Iudæorum, cū uident manifestum testimonium scripturæ de Messia, non hoc agunt, ut Messiam agnoscant, sed summam operam dant, ut textum scripturæ suis ficticijs glossis incertum, quod in ipsis est, reddant: ita Cinglianis solenne est, ut cū obijciuntur ipsis clara scripturæ testimonia, cum ipsorum erroribus aperte pugnantia, non dent gloriam ueritati, sed studeant eam data opera, horrendis tenebris inuoluere. Bullingerus in explicando hoc Pauli dicto, recitat tres expositiones, quarum altera est, quōd Paulus loquatur non de impletione cōeli et terræ, sed de impletione uaticiniorū Prophe-ticorum. Aliæ duæ quales quales sint, certè omnes eius modi sunt, ut non solum clarē ostendat, se nullam habe re certam eius dicti sententiam, uerum etiam in id studi um incumbat, ut faciat nobis clarissima dicta scripture, incerta & obscura. Paulus enim postquam recitauit illud Psalmi dictum de Christo, Cū ascēdisset in altum, cap̄itulam duxit captiuitatem, & dedit dona hominib⁹, suscipit ipsum explicandum, & addit: Illud, inquiens, ascendit, quid est, nisi quōd etiam descendērat prius in infimas partes terre? Qui descendit idem ille est, qui etiam

H ascendit

ascendit supra omnes cœlos. Audis hic, descendit: at audis, infimas partes; audis, ascendit: audis, omnes cœlos. Et mox addit, ob quam causam, in quem usum Christus descenderit in infimas partes terræ, & ascenderit super omnes cœlos. Ut impleret, inquiens, omnia, Quis obse-
cro, has circumstantias probè intuens, non intelligeret nomine omnium, infimas partes terræ, & supremos o-
mnes cœlos: ut sit sententia, Christus descendit in terrā,
& ascendit super omnes cœlos, ut tam terrā, quam cœ-
los impleret. Non ignorauī, nec dissimulaui quosdam Ecclesiasticos scriptores exponere hunc Pauli locum de impletione Prophetorum tracticinorum. In præsentia autem non queritur, quid Ecclesiastici scriptores senserint, sed quid Paulus senserit, & quæ sit uera dicti eius sententia: quæ certè melius ex ipsis Pauli uerbis, quam ex aliorum, qui suas ipsorum opiniones sequuntur, co-
mentarijs, cognoscí potest. Etsi autem non dubito, quin ea sententia, quam recitauimus, sit uera, & certa, tamen ponamus interim Paulum loquì de impletione Prophe-
ticæ scripturæ, certè ne sic quidem falsum est, quod Paulus hoc suo dicto doceat hominem à filio Dei in unam personam assumptum, implere cœlum & terram. Pro-
phetica enim scriptura docet Christum non tantum as-
censurum in altum, uerum etiam omnia sub pedes eius subiscienda, & ipsum dominaturum à mari usq; ad ma-
re, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Et ad-
dit Psalmus: Benedictum nōmen maiestatis eius in æ-
ternum, & replebitur maiestate eius omnis terra. Hæc
dicta sunt de maiestate humanitatis Christi, qua regnat
à mari usq; ad mare, imo in cœlo & in terra. Sed quomo-
do: num terreno, num mundano, num humano mo-
do: Nihil minus. Regnum meum, inquit, non est de
hoc

Psal. 8.

Psal. 71.

hoc mundo. Regnat igitur cœlesti ac diuino modo. Ec-
quis est hic cœlestis ac diuinus regnandi modus? Non
certe talis est, qualiter Romanus Cæsar regnat in impe-
rio Romano, qui etsi totius Romani imperij potitur, ta-
men in uno tantum loco residet, in reliquis habet suos
præsides & magistratus, per quos imperium gubernat:
Sed Christus homo regnat, qualiter Deus ipse regnat.
Deus autem non in uno loco concluditur, & quāquam
habet etiam suos ministros, per quos gubernat tam cœ-
lum & terram, quam suam Ecclesiam, tamē ut non lon-
gè abest ab omnibus suis creaturis, ita nec abest à mihi-
stris suis, ut ipsem corām omnia conseruet ac guber-
net. Hoc cœlesti & diuino modo gubernat omnia etiā
homo ille, qui à Deo in unitatem personæ assumptus
est. Quare si Paulus intelligit Christum impleuisse om-
nia Prophetica scripta, hæc autem testificatur Christum
omnia corām præsenter gubernare, reliquum est, quod
intelligat etiam Christum omnia tam infima quam su-
prema implere. Sed pergamus. Philip. 2. Is affectus sit in
uobis, qui fuit in Christo Iesu, qui cùm esset in forma
Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo,
sed semetipsum inanivit, forma serui sumpta, in simili-
tudine hominum constitutus, & figura repertus ut ho-
mo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens usq;
ad mortem, mortem autē crucis. Quapropter & Deus
extulit illum in summam sublimitatem, & donauit illi
nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Ie-
su omne genu se flectat cœlestium, terrestrium & infer-
norum, omniscip̄ lingua confiteatur, quod Dominus
sit Iesus Christus ad gloriam Dei Patris. Hactenus Pau-
lus. Ac de humiliatione quidem & exinanitione Chri-
sti paulo pōst. Nunc autem, quod cœpimus de glorifica-

tione & maiestate eius prosequamur. Loquitur ergo Paulus hoc loco de glorificatione & exaltatione humilitatis Christi, & perspicue interpretatur, quid sit Christum sedere ad dextram Dei Patris. Sic enim sedere, est (iuxta Paulum) efferri in summam sublimitatem, donari nomine, quod est super omne nomen, & adorari ab omnibus creaturis coelestibus, terrestribus & infernis.

Quid igitur est, obsecro, efferri in summam sublimitatem? An non solus Deus est in summa sublimitate? Imo Deus summa ipsa est sublimitas. Quare efferri in summam sublimitatem, est efferri ad diuinam ipsam maiestatem, non quidem ut essentia diuinitatis maturatur, sed ut homo ad omnia diuinitatis ornamenta exaltetur. Nisi enim ea consequeretur, non efferretur in summam, SVMMA M(inquam) sublimitatem. Deinde, quid est, obsecro, donari nomine, quod est super omne nomen? An non Dei nomen solum est super omne nomen? Certè reliqua omnia nomina sunt creaturarum. Et solum nomen Dei superat omnia. Cùm igitur Paulus dicit, quod Deus donauerit homini, quem filius Dei in unam personam assumpsit, nomen quod est super omne nomen, manifestè docet, hunc hominem donatum & illustratum esse maiestate Dei. Sublimitas autem & maiestas Dei, non est tantum omnipotentia, uerum etiam sit omnijustus, omnisciens, omnisapiens, & omnipræsens. Postremo, quid obsecro est, adorari flexis genibus coelestium, terrestrium & infernorum? An non solus Deus est sic adorandus? Recte. Cùm igitur Paulus scribit homini Christo donatum esse, ut in nomine eius flectantur

fectantur genua omnium creaturarum, quid aliud docet, quam ipsum ornatum esse diuina maiestate, ac factum esse uerum Deum, ut Petrus loquitur? Verus autem Deus, ut est omnipotens, ita etiam est omnipræsens. Necessariò igitur sequitur, quod & homo ille, qui est à Filio Dei in unitatem personæ assumptus, sit uerè omnipotens, & omnipræsens. Et hoc illud est, quod dicitur, Christum sedere ad dextram Dei Patris sui.

Hic iam tempus est, ut illæ de Christo loquendi formulae, Homo est Deus, & Deus est homo, Item, Totus homo est Deus, & totus Deus est homo, Item Deus homo factus est, & homo Deus est factus. Item, quod August. lib. i. de Trinitate. Au gustinus scripsit, Quia forma Dei formam serui accepte, utrumque Deus, utrumque homo, &c. rectè & piè tate. explicentur. Etsi enim sunt in ore omnium ferè Christianorum, tamen paucissimi sunt, qui eas rectè intelligunt, pauciores autem, qui uerè credunt. Conatur quidem Martyr in his aliquid explicare, Sed quia Cinglani fascinati sunt Philosophicis dogmatis, non possunt ueram harum locutionum intelligentiam assequi, donec uelamen à cordibus ipsorum sublatum fuerit. Cum ergo de Christo dicitur, Deum esse hominem, aut Deum esse factum hominem, aut totum Deum esse hominem, aut totum hominem esse Deum, non est Philosophice, sed Theologicè intelligendum. Non enim significatur, sicut aliquoties est expositum, quod Deus manifestetur in hominem, aut quod Deus misceatur cum homine, sicut aqua uino miscetur, aut quod Deus existat tantum in homine, sicut existit in omnibus creaturis, aut quod Deus habitet tantum in homine, sicut habitat in sanctis. Sed quod Deus hominem in unitatem Personæ ita assumperit, ut effundat in eum omnem suam

maiestatem, & exaltet eū in omnem gloriā suę diuinitatis, ut cū dicitur, *Totus Deus est homo*, significet Deum sese cum omni sua maiestate totū in hominem effudisse. Sic & cum dicit: *Totus homo est Deus*, significet, hominem accepisse à Deo totam diuinitatis eius gloriā & maiestatē. Itaq; homo Christus non uocat propriè, ob illam causam Deus aut filius Dei, q; Deus impleat eū sua presentia, essentia, & potentia, ac ornet eum multis tam corporalibus, q; spiritualibus donis. Sic n. & Paulus, sic Petrus, sic omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & pīj ac sancti quiq; homines possunt dici dīj, & filij Dei. Vnde & Psalmus uocat eos deos, *Ego dixi (inquiēs) dīj estis, & filij excelsi oēs.* Quare Christus nō uocat propriè hac ratione Deus, sed idcirco dicit & est uerus Deus, quod filius Dei, qui est secunda in diuinitate Persona, sic assumū pserit, sic exaltauerit, sic sibi uniuierit hominem Christū, ut collocauerit eum in omni diuinitatis suę gloria atq; maiestate, quod beneficium nulli alteri creature, nechominī, nec angelo contigit, præterq; soli semini Abrahæ, atq; Dauidis. In illo, inquit Paulus, inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Noli hoc dictum oscitāter intueri. Nō simpliciter dicit Paulus, *Inhabitat in illo deitas*, sed plenitudo deitatis. Nec hoc quidem simpliciter, sed OMNIS plenitudo Deitatis. Nec hoc contentus est, sed addit CORPORALITER, hoc est, absolute & perfecte. Quod quid sibi uelit, nuper adeò, in eo scripto, in quo mea sententia de libello Bullingeri extat, copiose exposui, & uerā eius sententiā, ex ipsis Pauli uerbis ostēdi.

Etsi autem Cingiani suum habent in ea interpretatiōne μνητηρισμὸν, & dicūt ueteres Patres eum locum Pauli non sic interpretatos esse, tamen iterum nō querit, qd Patres, sed quid Paulus scripsérunt, & non quæ fuerit Pau-

trūm, sed quæ Pauli, qui autoritate omnes Patres an
 tecellit, sententia fuerit. Nec tamen Patres ab ea senten
 tia, quam exposui, abhorrent. Etsi enim non opponunt
 (quod ego sciam) uocabulū (corporaliter) uocabulo (um
 braliter) eo modo, quo ego ex ipsis Pauli uerbis expli
 cui, tamen eandem sententiam retinēt. Cyrillus ait, Pla/
 cuit in illo inhabitare omnē diuinitatis plenitudinē, cor 103.
 To. 4. p.
 poraliter (hoc est) tanq̄ in proprio corpore. Nostrum, n.
 corpus, proprium sibi fecit. In hac fide fundata est Eccle
 sia Dei. Hactenus Cyrillus. Nostrū, inquit, corpus pro
 prium sibi fecit. Prīmū enim filius Dei in incarnatione
 sumpsit sibi corpus nostræ substātię, uidelicet ex semi
 ne Abrahę & Dauidis. Deinde hoc corpus fecit sibi pro
 prium. Quod quid sibi uelit, aliás clarè exponit, Caro, in
 quiens, non ad corruptibilem suam naturam iunctum.
 Dei uerbum detraxit, sed ipsa ad melioris uirtutē ELE
 VATA est. Et mox: Spīritū h̄c ipsam carnē nūcupauit,
 nō quia naturā carnis amiserit, & in spūm sit mutata, sed
 quia summē cū eo cōiuncta totā uiuificandi uim HAV
 SIT. Et iter: Spīritus per seipsum uiuificat, ad cuius uir
 tutē caro per coniunctionē CONscēdit. Ac rursus: Ver
 bū humanitatí coniunctū, totā in seipsum ita REDuxit,
 ut indigētia uite possit uiuificare &c. Quod ergo Cyril
 us dixit, filiū Dei fecisse corpus nostrę substātię, sibi pro
 prium, significat humanitatē à uerbo Dei assumptā, cō
 scandisse, & eleuatā, ac reductā (ut ipse loqui) esse in tan
 tā maiestatē, ut in ea inhabitet perfectē & absolutē oīs
 plenitudo deitatis. In omni aut̄ deitatis plenitudine non
 contineat tantū uis uiuificādi, ueretiam uis oīa p̄senter
 & corā gubernādi. Quare, q̄ negat̄ humanitatē à uerbo
 Dei assumptā, in gubernatiōe rez nō unā cum eo sem
 per & ubique p̄sente esse, manifestē negat̄, OMNEM.
 DEITĀ

64 DE DIVINA MAIEST. CHRISTI

DEITATIS PLENITUDINEM habitare in ea corporaliter. Et hic denuo audi non tolerandam uocem Martyris. Ad rerum omnium gubernationem, (inquit) & conservationem, quid opus est humanitatis praesentia? Eadem ratione interrogares, Ad liberacionem hominis ex peccato, quid opus erat incarnatione Christi? Ad abolendam mortem, quid opus erat morte Christi? An non Deus tanta erat uirtute, ut absq[ue] incarnatione, & morte filij sui potuisset genus humanum redimere, & mortem abolere? Non incipis optime lector, uel tandem intelligere, quo Cinglianorum dogma euadat? Si enim excludunt praesentiam humanitatis Christi, à rerum omnium gubernatione & cōseruatione, certè excludunt eam etiam à diuinitate, ut non sit cum ipsa una & indiuisibilis persona. Excludunt eam etiam ab ea maiestate, qua subiecta sunt ei omnia in coelo et in terra. Quo quid potest horribilius dicis? Sed pergamus.

To. 2. in E-
pist. ad Dar
danum. Similiter Augustinus cū de hoc Pauli loco tractaret, recitat quidem usitatam expositionem, de antithesi corporis & umbrarum legis, sed addit: Aut certe (inquiens) corporaliter dictum est, quia et in Christi corpore, quod assumptis ex uirgine, tanq[ue] in templo habitat Deus. Hinc est enim, quod Iudeis signū potentibus, cū dixisset, Sol uite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud, Euagelistā, quid hoc esset, cōsequenter exponēs, ait: Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Quid ergo est? Hoccine interesse arbitramur, inter caput & membra cetera, quod in quolibet, quamuis praecipuo membro, uelut in aliquo magno Propheta, aut Apostolo, quamuis diuinitas habitat, non tamen sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo diuinitatis. Nā etiā in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus, quantus in

in capite, ubi prorsus O M N I S est quinquepartitus. Ibi enim & visus, & auditus, & olfactus, & gustus, & tactus. In ceteris autem solus est tactus. Hactenus Augustinus. Vides ergo Augustinum ipsum docere, deitatem effusam esse in Christum filium hominis non umbraliter, sed corporaliter, hoc est, perfectè & absolute: & effusam esse in eum, non unam tantum & alteram particulam deitatis, sed O M N I M D E I T A T I S P L E-
N I T V D I N E M , ut quemadmodum in capite hominis, omnis prorsum sensus, nullo excepto, inest, ita & in Christo capite omnis prorsum deitatis plenitudo inest. Humanitas quidem ipsa, non fit deitas, nec mutatur in deitatem (extorquent enim mihi hunc, ut ipsi uocant, coccysmum, Cingiani:) Recipit autem omnem deitatis plenitudinem. In ea uero plenitudine non tantum continetur omnipotentia, uerum etiam omnipresens. Quid ergo aliud reliquum est, quam quod etiam ipsa humanitas Christi perfundatur & ornetur, sicut omnipotentia, ita etiam omnipresentia. Et qui adimit homini Christo omnipotentiam & omnipresentiam, negat eum esse uerum Deum. Sicut enim Ariani quandam affirmabant quidem filium Dei, in Christo, esse Deum, negabant autem eum esse uerum Deum ab aeterno a Deo patre genitum, & eiusdem cum patre substantiae seu essentiae. Ita Cingiani affirmant quidem filium hominis in Christo esse Deum, negant autem eum a filio Dei ita assumptum, ut ornarit eum dono omnipotentiae, omnisiapientiae, & omnipresentiae, quia dicunt filium hominis natura sua non esse capacem infinitae potentiae, sapientiae, & presentiae. Itaque negant filium hominis esse uerum Deum. Et cum Ioannes Euangelista dicit, Verbum caro factum est, intelligunt Deum quidem habitare in carne Christi, non autem effundere in
I hanc

hanc carnem omnem deitatis suæ plenitudinem perse-
cet, nisi quatenus natura carnis (quæ qualis sit appen-
dix, mox explicabitur) ferat. Sed hoc uerè est Christū
redigere non solū in ordinem sanctorū hominum, uerū
etiam in ordinem omniū aliarum creaturarū. Deus em̄
habitat in omniū creaturis, & tribuit suū cuiq; iuxta na-
ture eius capacitatē. Ut lapis, in quantū est lapis, accipit
a Deo duriciem. Lana in quantū lana, accipit molliciē:
Aqua in quantū aqua, accipit fluidā humiditatē. Quod
si uel lana uel aqua fieret dura & inflexibilis, iam nō am-
plius esset lana aut aqua, sed fieret lapis aut ferrū. Sic &
Deus iuxta Cinglianos habitat quidē in homine Chri-
sto, non aut tribuit ei omnipotentiā, & omnipræsentia,
quia natura humana nisi mutet in diuinā, non est iuxta
ipsorum sententiam horū donorū capax. Quare & si af-
firmant uerbis, se de Christo credere, q; Deus sit homo,
& homo, Deus: tamen nihil certius est, si hæc ipsorum

- Fo. 65. fa.** argumenta consideres & diligenter expendas, quām q;
 2. id re ipsa negent, & damnent. Bullingerus recenset ali-
cubi discrīmen diuinitatis & humanitatis in Christo, &
cūm tribuisset diuinitati omnipotentiam, postea de hu-
manitate loquens, omittit nomen seu donum omni-
potentiæ. Poterat uideri casu factum, si extra hanc contro-
uersiam contigisset, sed cum ipse & Martyr apertē ne-
gent, homini Christo infinitam potentia, sapientiam &
bonitatem collatam, nō potest aliter iudicari, quām q;
sit de industria factū. Cūm igit̄ neget hominē Christum
esse omnipotētē, quid aliud reliquū est, q; q; neget eū
esse Deum. Sic cūm adimit ei omnipræsentia, adimit ei
etiam gloriam & maiestatem deitatis.

Sed priusq; pergamus, recitabimus adhuc unū & al-
terum dictū Augustini, ut cognoscamus q; Augustinus,
etiam si uideat alias humanitati Christi maiestatē omni-
præsen-

præsentiae detrahere, & Christum ita diuidere, ut iuxta uulgatā multorū patrū opinionem, solam deitatem eius ubiqꝫ diffundat, corpus aut̄, seu humanitatē eius in uno tantū loco collocet, ac circumscribat, ueritatē tamen nec ignorauerit, nec suo loco, cū se à physicis imaginationibus auertisset, tacuerit. Vnus (inquit) Christus se cundum unitatē personæ in cœlo erat, quando in terra loquebāt. Sic erat filius hominis in cœlo, quēadmodū erat filius Dei in terra. Filius Dei in terra in suscepta carne. Filius hominis in cœlo, in V N I T A T E P E R S O N A E. Ac rursus: Christus filius Dei secundū diuinitatē, hominis filius secundū carnē. Quis aut̄ nostrū q̄ parum aduertimus aut parū sapimus, non potius ita uellet distinguere, filius Dei in cœlo, & filius hominis in terra. Sed ne sic diuideremus, & ita diuidēdo duas personas induceremus: Nemo, inqt, ascendit in cœlū, nisi qui descendit, filius hominis, qui est in cœlo. Christus descendit idēqꝫ filius hominis, q̄ filius Dei, sedet in cœlo, q̄ ambulat in terra, in cœlo erat, q̄a ubiqꝫ Christus. Idēqꝫ Christus & filius Dei, & filius hois, Propter V N I T A tem personę in terra filius Dei, ppter eandem unitatem personæ, pbauimus esse in cœlo filiū hominis, etc. Quis nostrum (inqt Augustinus) q̄ parū aduertimus, aut parū sapimus, nō potius ita uellet distinguere, filius Dei in cœlo, et filius hominis in terra. Quot aut̄ sunt eorū scripto rū, qui cū de Christo adhuc in terris ambulāte loquunt̄, sic distinguunt̄, ut dicant, eū nō nisi deitate sua esse in cœlo, humanitate autem in terra tantum? Quot etiam sunt, qui cū de Christo iam in maiestatē suam exaltato loquuntur, sentiant deitatē quidē eius esse in cœlo & in terra, humanitatem aut̄ eius non esse in terra, sed tantū in certo aliquo loco cœli? Hī ergo parum, iuxta Augustinum, aduertunt, parumqꝫ sapiunt.

To. 9. in
Ioan.ca.6.

Sed audiamus iterum Augustinum de Christo, in cœ
 To. 7. de lo & in terra præsente. Quamuis, inquit, in terra factus
 peccator. sit filius hominis, diuinitatem tamen suam, qua in cœlo
 meritis & remissio- manens, descendit ad terram, non indignam censuit no
 ne, li. i. mine filij hominis, sicut carnem suam dignatus est no
 mine filij Dei, ne quasi duo Christi accipientur, unus
 Deus, & alter homo, sed unus atq; idem Deus & homo:
 Deus, quia in principio erat uerbum, & Deus erat uer
 bum: homo, quia uerbum caro factum est, & habitauit
 in nobis. Ac per hoc, per distantiam diuinitatis & infir
 mitatis, filius Dei manebat in cœlo, filius hominis am
 bulabat in terra. Per unitatem uero personæ, qua utraq;
 substantia unus Christus est, & filius Dei ambulabat in
 terra, & idem ipse filius hominis manebat in cœlo. Fit
 ergo credibilior fides, ex incredibilioribus creditis. Si
 enim diuina substantia longè distantior & incompara
 bili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipe
 re humanam substantiam, ut una persona fieret, ac sibi
 filius hominis, qui erat in terra, per carnis infirmitatem,
 idem ipse esset in cœlo per participatam carni diuinita
 tem: quanto credibilius alii homines sancti & fideles es
 ius, fiunt cum homine Christo, unus Christus, &c. Ha
 ctenus Augustinus. Vides autem, quam disertè doce
 at omnipresentiam Christi. Filius hominis (inquit) qui
 erat in terra, per carnis infirmitatem, idem ipse erat in
 cœlo, per PARTICIPATAM CARNI DIVINITA
 TEM. Duo tribuit filio hominis, filio, inquam, homi
 nis, alterum, carnis infirmitatem, quæ se humiliauit, & fa
 ctus est obediens usque ad mortem crucis. Et secun
 dum hanc infirmitatem fuit in terra, ambulauit in terra,
 uisus est in terra, concionatus est in terra, passus est in
 terra, mortuus est in terra, & quæ alia opera sunt humili
 ationis, (de qua, volente Deo paulo post plura) per
 egit

egit in terra. Nec sentiendum est, q̄ secundum hanc seu infirmitatis seu humilationis formam fuerit tunc in cœlo, aut impleuerit omnia. Alterū, diuinitatē carni participatam, qua caro eleuata est perfectē ad omnem deitatis plenitudinem, ut sicut Deus ipse est omnipotēs & omnipræsens, ita & caro ad omnem deitatis plenitudinem perfectē eleuata omnipotens esset & omnipræsens. Non certē uoluit Augustinus hoc loco, Christum Petro aut Andreæ similem facere, quorum humanitas erat in terra, diuinitas autem, quæ ipsos implebat, erat in cœlo & in terra, sed uoluit eam maiestatem, quam filius hominis præ omnibus suis consortibus habuit, explicare, uidelicet, quòd cum Petri aut Andreæ caro in terra tantum esset, filij hominis caro fuerit etiam in cœlo propter unitatem personæ cū filio Dei, seu propter participatam carni diuinitatem. Sed quorsum hæc omnia? Nimirum ut ostendamus, quæ sit uera sententia illius articuli religionis nostræ, Ascendit in cœlum, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. Cum enim dicitur de Christo, Ascendit in cœlum, nō est intelligendū quòd Christus postquā in ascensiō suo uisibili suscep̄tus est à nube, & subductus ab oculis discipulorum, condescenderit per orbes planetarum, Physica motione, & in uaserit in ficticiū illud & corporale cœlum, quod Em̄pyreum uocant, in quo sedeat, stet, ambulet, & corporalimodo circumeat, sed quòd considerit ad dexteram Patris sui omnipotentis. Dextera autem Dei non est certus aliquis locus in cœlo, sed est omnipotentia & uniuersa maiestas Dei. Nec sedere ad dextram Dei, est mundano modo in certo quodam loco cœli sedere, aut obambulare, sed est gloria & honore coronatum esse, omnia sibi subiecta habere, omnem potestatem in cœlo & terra possidere, supra omnem principatum

tum, potestatem, uirtutem & dominationem, adeoq; su
pra omne nomen, quod uel in hoc mundano uel in alte
ro spirituali & cœlesti seculo nominari potest, exaltatū
esse, omnia in omnibus adimplere, adeoq; in summam
sublimitatem, & maiestatem ita elatum esse, ut ab om
nibus coelestibus, terrestribus, & infernis creaturis ado
retur. Hoc certe est esse Deum omniscientem, omni
sapientem, omnipræsentem, & omnipotentem. Cī
giani aut sentiunt, q; humana natura quæ est finita, nō
possit ferre infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem
& iusticiam. Quid ita? quia iuxta Aristotelem finiti ad
infinitum nulla est proportio. Deinde corpus inquit
non potest esse aut manere uerum corpus, nisi sit in lo
co circumscripsiū. Postremò fieri nō posse aiunt, idq;
ne diuina quidem omnipotentia, ut uerum corpus, ma
nens uerum corpus, aut fiat spiritus, aut in omnia loca
extendatur, & sit simul in pluribus aut omnibus locis.
Hic solent metiri & suis limitibus definire omnipoten
tiam Dei, uidelicet Deum nō omnia simpliciter posse.
Neq; enim Deum facere posse, ut quæ facta sunt sint
infecta. Hic & Hieronymus citatur. Audenter (inqui
ens) loquar, Deus cum omnia possit suscitare, uirginē
post ruinam non potest. Hic & Theodoretus adducit
qui ait: Non enunciandum esse indefinite omnia Deo
possibilia. Hic etiam affirmatur Deum nō posse facere,
ut triangulus sit quadrangulus, utq; numerus ternarius
sit quaternarius, sicut & quondam eodem ferè argu
mento Plinius ille ἄθεος Epicureus omnipotentiam
Dei oppugnauit. Verba eius subiçcamus: Imperfekte
inquit in homine naturæ præcipua solatia, ne Deum
quidem posse omnia. Namq; nec sibi potest morte con
sciscere, si uelit, quod hominideit optimū in tantis uite
perennis; nec mortales eternitate donare, aut reuocare de
functos;

functos : nec facere, ut qui uixit, non uixerit : qui hono
res gescit, non gesserit, nullumq; habere in præterita ius
præterq; obliuionis : Atq; (ut facetis quoq; argumen-
tis societas hæc cum Deo copuletur) ut bis dena, uigin-
tinō sint, ac multa similiter efficere nō posse. Hactenus
Plinius. Breuiter ea fieri nō posse affirmant, quæ rei na-
turæ ac definitioni repugnant. Hic est Cingilianorū mu-
rus aheneus. Etsi. n. dissimiles sunt eorū sententiæ, &
alij quidē affirmant Deum posse efficere, si uellet ut uel
corpus non sit in loco, uel unum corpus sit simul in plu-
ribus locis: alij uero, inter quos & Martyr est, simplici-
ter negant Deum id posse, nisi mutet corpus in spiritū,
tamen quia & in summa rei conueniunt, & si omnipotē-
tia Dei in hac re fuerit cōprobata, voluntatē eius nō erit
difficile ex manifesto uerbo ipsius demonstrare, relin-
quemus in præsentia suis somnijs eos, q; voluntatē tantū
Dei negant, q; & ipsi suos habeant antagonistas, pugna-
bimus aut̄ cū ijs, qui omnipotētiā Dei uellicāt. Ac aliás
quidē in nostrorū scriptis extat luculenta de omnipo-
tētia Dei explicatio, qua ista Cingilianorū opinio piē et
eruditē refutatur. Nec opus esset, ut ego actū agerē, sed
quia Cinglianī decernunt sibi his argumētis triumphū,
& occasio nō est negligenda, dicā & ego, quæ ad hanc
rem explicandā utilia uident̄. Quod igitur ad capaci-
tatem humanæ substantiæ attinet, etsi ea suā habet men-
suram à Deo conditā, tamen Deus cū sit & liberrimū &
potentissimū agens, nō sinit sibi limites præscribere, q; s
in rebus suis conditis, si uoluerit, nō transgrediaſ: Om-
nia, inq; Psalmus, quæcunq; uoluit, fecit (loquimur aut̄
h̄c nō de uoluntate Dei, quā scholæ uocant signi, sed
de ea, quā uocat̄, beneplaciti) Non facit quidē Deus o-
mnia, quæ potest. Quæcunq; aut̄ uult, ea & potest, &
facit, ut manifestū sit, q; quemadmodū non est aliud in
una-

unaquocq; natura quam quod Deus uult, & quod dat, ita omnia præbeant sese uoluntati Dei ad agendum naturaliter. Recte Basilius ὁ θεολόγος φύσις τὸν γίνομέν τοποθετεῖ, diuinum uerbum est natura eorum quæ fiunt. Itaq; quod ignis calefacit & adurit, natura eius est, qd Deus uult. Si autē uellet, ut frigefaceret, & non adureret (id quod uoluit in igne Babylonico, in quē tres adolescentes apud Danielē coniecti erant) tū hoc uideret quidē nobis cōtra naturam, Deo autem esset secundum natu ram, quia uoluntas seu λόγος eius est rerum natura. Reliquum igitur est, quod ea humanæ substantiæ capaci tas sit naturalis, quam Deus uult. Ac in alijs quidē hominibus (ut in Ioanne Baptista, Petro, Paulo & alijs sanctis) uult capacitatem suis finib; esse circumscriptam, & suis limitib; definitam, ut tantum capiant, quantum uoluntate Dei capere possunt. Quare conser runtur in ipsos coelestia & diuina dona secundum mensuram. In filio autem hominis, quem filius Dei in unitatem personæ assumpit, & sibi inseparabiliter uniuit, uoluit esse capacitatem incircumscriptam, immensam & infinitam. Quare potuit etiam in eum conferre, ac contulit quod immensa & infinita bona. Non uoluit quidem, ut substantia Dei, quæ est sp̄ritus, mutaretur in substantiam hominis, quæ est corpus & anima ratio ne prædicta, sed uoluit ut illa essent in unam inseparabili personam ita unita, ut substantia hominis, in Deū assumpti, esset infinitorum beneficiorum Dei capax.

Vnde ergo hæc Dei uoluntas probabitur: Nō certe probabit ex schola Aristotelis, cuius axioma est, λόγος δὲ δυδεῖται τὸν ἀπειρον πόδες τὸ πεπειρασμένον, Finiti ad infinitum nulla est proportio: Sed ex schola Christi, cuius axioma est, Verbū factū est caro, hoc est, Deus factus est homo, & homo factus est Deus. Itaq; cum queritis, quom

Quomodo infinitum possit esse finitum, & finitum possit esse infinitum? Vicissim & ego quero, quomodo Deus possit esse homo, & homo possit esse Deus? Si hoc concesseris, quid est quod illud abomineris? An non homo est finitus, & Deus infinitus? Quod igitur est discriminis siue dixeris, finitum est infinitum, siue homo est Deus? Respondebis forte, finitum humanitate, est infinitum deitate. Sed idem ipsum (sicut tu intelligis) de Petro, de Paulo ac de alijs sanctis dixeris, Ego uero in gro nunc quod & supra attigimus, discrimin inter Christum & Petrum. Illud (inquieres) est discrimin, quod deitas unita est humanitati Christi in una persona, non sic autem est unita humanitati Petri. Recte. Sed cum de Christo sermo est, quid in una persona unitum esse aliud est, quam ita inseparabiliter esse coniunctum, ut non solum, ubique est deitas, ibi quoque sit humanitas, Verum etiam ut deitas omnem suam maiestatem humanitati communicauerit: quemadmodum supra copiose demonstrauimus. Quare si quaesiueris quomodo humanitas Christi possit esse capax omnipresentiae, uicissim queram & ego, quomodo eadem humanitas possit esse capax omnis plenitudinis deitatis corporaliter? Si huius infinitae rei capax est, quomodo non etiam illius? Et si totus homo est Deus, & totus Deus est homo, quomo do homo non esset, ubique est Deus? Plus ne est esse ubique Deus est, quam esse Deum ipsum? Sed pergamus uoluntatem Dei de immensa capacitate filii hominis in Christo exponere. Quid autem pluribus opus est, cum supra copiose testimonia de immensa & ineffabili maiestate humanitatis Christi recitauerimus? Quae omnia testificantur, Deum non solum uoluisse, ut humanitas filii sui esset capax infinitae maiestatis, uerum etiam re-

K ipsa

ipsa; quod uoluit, impleuisse. Data est mihi (inquit Christus) OMNIS potestas in celo & in terra. At haec est immensa & infinita potestas. Fecit eum sedere (inquit Paulus) ad dexteram suam, in coelestibus, supra omnem principatum, ac potestatem, & uirtutem & dominium, & OMNE NOMEN, quod nominatur non solum in hoc seculo, uerum etiam in futuro. At hanc maiestatem non poterit ullus nec humanus nec angelicus intellectus metiri aut definire. Et iterum: In illo COMPLACVIT Pater uniuersam plenitudinem inhabitare. Ac mox clarius quod paulo ante commemorauimus: In illo inhabitat OMNIS Plenitudo deitatis corporaliter. Et rursus: In quo sunt OMNES Thesauri sapientiae ac scientiae reconditi. Quis autem tu es, qui posses hanc plenitudinem, & hos Thesauros comprehendere & numerare? Habes igitur tantam esse rerum capacitatem, quam Deus uult. Et quia filius hominis, quem filius Dei in unitatem suae personae assumpsit, capax fuit omnis plenitudinis deitatis corporaliter, quemadmodum hactenus clare ostendimus, manifestum est, quod etiam si humana substantia alioqui sit finita, tamen Deus uoluerit eam in Christo facere ac fecerit etiam capacem infinitae potentiae, scientiae, sapientiae & praesentiae.

Quid ergo, inquiet, quod toties in sacra scriptura recenseant imbecillitates & ignoratiæ Christi: quid quod in uno & certo loco, in utero uirginis conceptus est, & postquam nascitur in praesepi collocatur, adultus in certo loco aut sedet aut ambulat. Et post resurrectionem certis locis circumscribitur & discipulis apparet. Post ascensum suum in celum, apparet & Stephano, & Paulo in certis locis. Quomodo ergo qui humanitate sua certis locis circumscribitur, eadem omnia impleret? Hic repetendum

Ans & explicandus erit locus Pauli, qui est de exinanitione & exaltatione Christi, in Epistola ad Philip. cap. 2. Idem affectus, inquit Paulus, sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratu*s* est, ut esset æqualis Deo, sed semetipsum inanuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus exaltauit illum in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, &c. Primum omnium, non ignoro magnam partem ueterum interpretum nomine formæ Dei in hoc loco intelligere diuinam essentiam, & alioqui non est inusitatū, ut pro forma rei intelligatur essentia eius. Ac omnino uerissimum & certissimum est, quod persona Christi constet ex uerbo & carne, hoc est, ex duabus naturis, Diuina uidelicet & humana. In expositiōe autem sacræ scripturæ non solum expendendum est, quid per se sit uerum, sed etiā quid ei dicto, quod interpretādum suscepisti, conueniat, & quā sententiam cūcūstantiæ in manus tradat. Quare sentio, quod in hoc loco Pauli, nomine forme Dei, non sit intelligēda essentia Dei, sed manifestas seu proprietates diuinæ, quæ Christo homini, ex personali unitate sunt cōmunicatæ. Nam & ipsum οὐρανὸς (hoc est) formæ uocabulū, nō semper significat essentiā, sed etiam speciem seu aspectum, ut Iudi. 8. Qua forma (sic enim Hebræus legit) fuerūt uiiri, quos interfecisti in Thabor. Et Isa. 53. Non erat ei forma, quod nos legimus, species. Et Matth. 17. Christus coram discipulis μεταμορφώθη, transformatus est. Non fuit autem mutata essentia eius, sed tantum forma seu species & aspectus, qua splen-

K 2 duit

76 DE DIVINA MAIEST. CHRISTI,

dant facies eius, sicut sol, & uestimenta illius facta sunt
candida sicut lumen. Sic & in præsenti loco Pauli, μορφα
accipienda est pro specie & aspectu, seu proprietate, ut
forma Dei sit species diuina, sicut & forma serui, species
aspectus seu proprietas seruialis. Et cum hac interpreta-
tione conueniunt etiam nonnulli ueterum, ac præser-
tim Ambrosius, qui pro forma intelligit, similitudinem,
speciem seu specimen. Sed uera huius loci sententia non
potest rectius cognosci quam ex ipsis Pauli uerbis, & e
loci circumstantijs. Non enim dubium est, quin cum Pa-
lus postea recitat exaltationem Christi, intelligat exalta-
tionem humanitatis eius, Deitas enim filij Dei, no[n] tum
primum exaltata est, cum Christus uel homo factus est,
uel ascendit in coelum, & confedit ad dexteram Dei, sed
fuit iam inde ab eterno exaltata, quippe quæ sit eiusdem
essentie & glorie cum Deo Patre & Spiritu sancto. Cum
igitur Paulus dicit: Deus extulit illum in summam sub-
limitatem, intelligit humanitatem eius esse exaltatam.
Si autem in explicatione maiestatis Christi, hoc loco in-
telligenda est humanitas eius, certè ut antithesis constet,
cum fit sermo de Inanitione & humiliatione Christi, in-
telligendum est, de inanitione & humiliatione humani-
tatis eius, præsertim cum additur Christum humiliatum
esse usq[ue] ad mortem crucis, quam no[n] deitatis, sed huma-
nitatis natura subi[ct]a. Ac uere quidem dici potest deita-
tem se in eo humiliasse, quod dignata est suscipere ho-
minem in eandem personam, in præsentia autem non
querimus quid aliquo modo fieri dici possit, sed quæ
sit uera dicti Paulini sententia. Deinde non est sentien-
dum, quod humanitas Christi tum primum exaltata sit
in summam sublimitatem, & acceperit omnem potesta-
tem in coelo & in terra, cum ascendit uisibiliter ex mon-

te Oliueti, in cœlum, sed cum Verbum caro factum est,
& cum in utero virginis Deus assumpli hominem in
eandem personam. Quæ enim maior est exaltatio, quæ
est excellentior sublimitas, quam cum homo assumptus
à Deo in unitatem personæ, & fit Deus ipse? Hoc autem
non tum primum factum est, cum Christus resurrexit à
mortuis, & ascendit in cœlum uisibiliter, sed factum est,
cum in utero Virginis incarnaretur. Nec tum primum dixit
DOMINVS Domino nostro, Sede à dextris meis, cū
nubes subduxit eum in monte Oliueti à conspectu disci-
pulorum, sed cum María ad angelum diceret, Ecce an-
cilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Qua-
re Christus homo, cum fuerit ab initio incarnationis ue-
rus Deus, fuit etiam tunc exaltatus in summam sublimi-
tatem, & accepit omnem illam maiestatem & potesta-
tem quam supra commemorauimus. Quid ergo est, dí-
cet quispiam, quod Euāgelista scribit, Nondum (inquisi-
ens) erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glori-
ficatus? Et Petrus: Hunc Iesum (inquit) suscitauit Deus
cuius omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exal-
tatus, &c. Si homo Christus tum demum fuit in gloriā
& maiestatem suam exaltatus, cum uel à mortuis resur-
rexit, uel in cœlum uisibiliter ascendit, & Spiritum san-
ctum misit, quomodo dicitur in sua incarnatione exalta-
tus? Exposuimus iam perspicue, quod homo Christus
tunc ascēderit ad diuinam maiestatem, cùm assumptus
est à filio Dei in eandem personam, quam etiam maie-
statem testificatus est ante mortem & resurrectionem
suam uarijs argumētis, & ut Petrus ait, Virtutibus, pro-
digij & signis. Quare, cùm dicitur tum primum exalta-
tus, cùm ascendit in cœlum, & misit Spiritum sanctum,
intelligendum est iuxta vulgatam regulam, qua res tūc

K 3 dicitur

dicitur fieri, cū incipit manifestius patefieri. Vnde. Ro. 1. scribit Paulus, Qui declaratus (inquiēs) fuit filius Dei, cū potentia, secūdum sp̄iritum sanctificationis, ex eo quōd resurrexit à mortuis &c. Christus. n. non tunc primum factus est filius Dei, cū resurrexit à mortuis, sed declaratus & manifestatus est, ut quod antè uerè erat, & imbecil litatibus carnis tectū fuerat, nunc resurrectione reuelatur, & manifeste comprobaretur. Sic & Petrus ait: Certò sciat tota domus Israel, quōd Dominū & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Non tum primū Iesus factus est Dominus & Christus, cū effudit sp̄iritū sanctum in Apostolos, sed quod iam ab incarnatione fuit, in resurrectione & ascensu in cœlū, ac missione spiritus sancti, clariorib. & efficaciorib. argumentis, q̄ antea miraculis, qualia etiam Prophetę quondam designaverant, patefactum est & declaratū. Hoc idcirco, uisum est paucis attingere, ut aperte cognoscat, in quām tetros errores Martyr collabatur. Scripti. n. in libello de personali unione duarū naturarū in Christo, quōd sit ascensus Christi in cœlū uisibilis, sit & inuisibilis, ac disertè exposui in eo loco, q̄ nomine inuisibilis ascensus intelligam partim incarnationē Christi, qua Verbum caro factum est, & filius hoīs assumptus est à filio Dei, in eandem personam, ut homo esset Deus, & ornaret omni diuina maiestate: partim Resurrectione Christi à mortuis, qua declaratū & comprobatur est, hominē illum assumptū, esse uerum Deum, & omni diuina maiestate ornatū. Et hoc uerè dicit Ascēdere (sed inuisibiliter) in cœlū (hoc est) in cœlestia bona. Quid. n. est abiectius, & contēptius homine? Quid est sublimius & magis cœleste Deo? Nunc si homo ē sordib. suis assumit, & exaltatur in tam cœlestē sublimitatē, ut sit una persona cū Deo, & fiat uerus Deus,

an nō is rectissimē dicitur in cœlum Ascēdere? Certe, nō
 si homo Christus hoc modo antea, in incarnatione sua
 in cœlum ascendisset inuisibiliter, nō potuisset postea in
 monte Oliueti ascendere uisibiliter, & Apostolis mitte-
 re de coelo Spiritum sanctum mirabiliter. Quid autem
 Martyr? Non solum hoc irridet, uerum etiam uocat no-
 rum, peregrinū & inauditū dogma. Et addit: Sed ita (in-
 quiens) fieri oportet. Nā figmenta ubiquitatis cōsistere
 non possunt, nisi & nouis & magis absurdis fictionibus
 fulciant, &c. Ita ne Martyr tibi nouum peregrinū & in-
 auditum dogma, atq; absurdā fictio est, Verbum esse fa-
 cium carnem filium Dei assumpisse filium hominis in
 suam eādemq; personam & hominem esse factum De-
 um? Hoc enim est hominem Christum ascendere in-
 uisibiliter in cœlum. Quare si Martyr non intelligit me-
 am sententiam, & tamen damat, quid est magis teme-
 rarium? Si autem intelligit, & dānat, quid eo est magis
 peruersum? Nam quod Paulus dicit Ascendisse Christū
 super omnes cœlos, ut omnia impleret, non significat e-
 um tunc primum unā cum humanitate sua cœpisse om-
 nia implere, cum uisibiliter ascenderet, sed significat iu-
 xta regulam paulo ante expositam, eum tunc manife-
 sto spectaculo uoluisse testificari & declarare, se uerum
 Deum & hominem, hoc est, unā cum diuinitate, & hu-
 manitate sua iam inde ab initio suæ incarnationis, om-
 nia impleuisse. Quid ergo Martyr addit: Si iam antea, in-
 quiens, implebat omnia, ob hypostaticam unitatē cum
 diuinitate, quam à sua incarnatione semper habuit,
 frustra uisibiliter ascendebat, ut id consequeretur?
 Hoc iam non est mihi, sed Paulo, sed Christo ipsi insul-
 tare. Paulus dicit: Ascendit supra omnes cœlos, ut om-
 nia impleret, ac manifestum est, quod non iam pri-
 mum

mem ab ascensu suo in cœlum accepit omnipotentiam
& omnipræsentiam suam , sicut suprà multis scripturæ
testimonijs comprobatum est. Habuit enim hanc ma-
iestatē iam inde ab utero matris suæ. Quare Paulus his
uerbis non significat Christum descensu & ascensu suo,
hoc primū tēpore accipere suā à Deo maiestatē omnia
tam infera q̄ supera implendi & corām gubernandi, sed
antea acceptam & sibi donatā patefacere ac testificari. Di-
cit & Christus apud Ioannem : Quid si uideritis filium
hominis ascendentem eo, ubi erat prius. Insultet igitur
Martyr Christo, & dicat : Si antea Filius hominis erat in
celo, quid opus erat, ut eò ascenderet? Dicet , Christus
erat ibi diuinitate, quo postea ascendit humanitate. Du-
as ergo personas, aut duos Christos, quod in ipso est, fa-
cit. Alterūm, qui erat tam diuinitate, quam humanitate
in terra. Omnino enim, sicut cœlum & terra diuersissi-
ma sunt loca , ita quæ diuersissimis locis distinguuntur,
& à seiuicem separantur, non sunt nec possunt esse per-
sonaliter unita. Sed abeant deliria Martyris. Nam de cœ-
lo & regno Patris , de quorum discriminē, nescio quæ
singit, postea, Deo propicio, copiosius. Et quæ de perso-
nali unionē ad præsens institutum faciunt , suprà satis
sunt exposita. Reuertemur igitur ad locum Pauli ad Phi-
lip. quem paulo antè recitauimus. Christus (inquit) cùm
in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, ut esset e-
qualis Deo. Ostendimus suprà, quod etsi aliquoties uo-
tabulum formæ accipitur pro rei essentia, & Christus est
secundum spiritum sanctificationis (sicut Paulus Rom. 1.
loquitur) uerus ab æterno Deus, tamen in hoc Pauli lo-
co uocabulum formæ Dei accipiendum sit pro proprie-
tatis, conditionib⁹, & ornamenti deitatis, quibus fi-
lius hominis , quem Filius Dei in unam personam
assumpsit,

assumpsit, propter personalem unionem, decoratus est.
Homo igitur Christus habuit ab initio incarnationis
hanc participatam sibi diuinitatem, (ut Augustinus lo-
quitur) aut æqualitatem Dei (quemadmodum Paulus
ait) ut esset uerè omnipotens, omnisciens, omnisapiēs
omnijustus, & omnipræsens. Hoc enim est hominem
esse Deo æquale. Hoc affectauit Satan in cœlo, Adam
in Paradiſo, Rex Babylonius in Chaldæa, Romanus
pontifex in Ecclesia. Sed solus Christus, filius hominis
afflicetus est. Ac Cingiani concedunt quidem huma-
nitati Christi, uerbis suis, multas, magnas & excellen-
tes dotes, non concedunt autem ei omnipræsentiam, seu
quo uocabulo ipsi utuntur, ubiuitatē, nec facile dant
ei infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, & iusti-
ciam. Quid ergo deitatis ei relinquent? Adimunt ei o-
mnipræsentiam, adimunt omnipotentiam, adimunt om-
nisapientiam, adimunt omnijusticam. Quid obsecro
hoc aliud est, quam aperte negare hominem Christum
esse in forma Dei adeoq; uerum esse Deum? Sed bene
habet. Sedet ille ad dextram Dei patris sui, & tutus erit
procul dubio ab omni horū gigantū incursione. Quid
ergo? Cūm Christus in forma Dei fuerit, nū hac forma
tyrannice aut ambitiose abusus est? Nihil minus. Potu-
isset quidem maiestatem Dei, qua ornatus erat, statim
uel in utero matris adhuc existens, uel ex utero eges-
sus, manifeste exercere, ac publice tam in cœlo, quam
in terra ostentare, sed noluit eam inobedenter, contra
uoluntatem & mandatum Dei, atq; cōtra uocationem
rapere, quemadmodum Satan & Adam conati fuerant.
In capite libri (inquit) scriptum est de me, ut facerem
uoluntatem tuā, Deus meus uolui, & lex tua in medio
cordis mei. Et iterum: Descendi de cœlo, ut faciā, non
quod ego uolo, sed quod uult is qui misit me. Voluit au-

L tem

tem is, ut etiam si ornasset me ab initio incarnationis meæ, omni sua maiestate, tamē non raperem eam contra suam uoluntatem utendam, sed obedirem uocatio- ni eius, & expiarem mea obedientia quod Adam sua inobedientia, qua uoluit iuxta suationem Satanae, rapere sibi æqualitatem Dei, designauerat. Quæ fuit ergo illa Christi obedientia? & quid, cum esset in for- ma & maiestate Dei, fecit? Non abiecit quidem, ne que abnegauit suam maiestatem, ne quidem coram Sy nido Pontificum. Sed Inanivit seipsum. Quid ergo est, Inanire seipsum? Sequitur. Forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum, factus obe diens usque ad mortem, mortem autem crucis. Inanis reigitur seipsum, est formam serui sumere, se in simili tudinem hominum constituere, & quæ sequuntur. Forma autem serui, opponitur formæ Dei. Sicut enim forma Dei est aspectus & ornatus diuinæ mai estatis ac dominationis, ita forma serui, est aspectus & deformitas, qualem serui habent, præ dominis huius terræ. Nihil uidetur abiecius, nihil uilius, nihil con temptius seruis in hac terra. Quicquid serui acquirunt, domino acquirunt. Necesse habent serui uilissima quæ que ministeria domino præstare. Dominus habebat quondam in seruum potestatem uitæ ac necis. Ac bre uiter, serui à iumentis nihil aut parum coram dominis differre uidentur. Hæc est seruorum forma. Et hanc formam Christus sumpsit. Potuisset iuxta formam Dei, qua ornatus erat, dominationem in celo & terra exer cere, & incedere rex cœlestis & terrestris. Sed quam quam possideret eam maiestatem, tamen texit & obduxit eam forma serui. Apparuit omnium uilissimus: na tus in Bethlehem, non habuit honestum locum in diuer sorio,

forio, sed reiectus est ad stabulum iumentorum, & reclinatus est in præsepi, obambulauit in terris pauperibus, non habens ubi recumberet capit'e: uocatus ad ægrotos, uenit, ut seruus ad dominum. Pedes discipulorum lauit, quod est officium nimis seruile. Captus à magistratu, multas plagas, sicut seruus accepit. Quid mul tis opus: Esaias uocat eum ex mandato cœlestis patris, seruum, & uirorum nouissimum. Voluit igitur obedire voluntati patris, & sumpsit formam abiectissimi serui.

Sequitur ultrà de Inanitione. In similitudine hominum constitutus. Hoc idcirco dicitur, non quod Christus non fuerit uerus homo, qui corpore & anima rationali constat, sed quod in modum hominum sustinuit omnia humanarum imbecillitatū genera, nascendo, increscendo, robore corporis, & intellectu mentis augescendo, potu & cibo indigendo, esuriendo, sitiendo, sedendo, de loco in locū ambulando, & quicqđ est harū infirmatum. Potuissest iuxta formā Dei, quam habebat statim ab initio incarnationis, nō tantū heroico &c celesti corpore, quod nullo nec cibo, nec potu, nec motu locali indiguisset, uideri, uerum etiā summā mentis sapientiam ostentare, & lingua angelorū loqui. Sed qđ erat tēpus Inanitionis, uoluit in similitudine hominū consti tui, & humanis imbecillitatibus obnoxius esse. Sequit ultrà. Habitū seu figura repertus ut homo. Pro habitu seu figura, Paulus utitur uocabulo χρυστός, quod significat effictionē quandā, quæ fit uultu, sermone, gestu, actione. Vnde & Rhetores uocant Schema orationis. Et aliás apud Paulū, Schema huius mūdi preterit. Eiusmodi Schemata sunt, gaudīū, quies, labor, pauor, dolor, tristitia, et qđ sunt id genus affectus. Christus igit̄, et si erat in forma Dei, & potuissest semper cœlesti gaudio frui atqđ omni molestia carere, tamen nihil humani affectus

(præter peccatum) à se alienum putauit. Gauisus quidem est aliquoties, & exultauit in spiritu, sed mediocriter, & gaudio successit tristitia. Doluit, horruuit, fleuit, & palam affirmat, tristem esse animam suam usque ad mortem. Sequitur: Humiliauit seipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Hæc est antithesis ad Adamum. Nā Adam creatus ad imaginem, & similitudinem Dei, non fuit contentus hac Dei similitudine, sed erexit se animo suo, & affectauit etiā Dei æqualitatem. Itaq; factus est uoluntati Dei inobediens. Christus autem secundus Adam, & si erat ornatus forma & æqualitate Dei, tamen non elatus est animo, nec insultauit alijs propter suam maiestatem, sed potius deiecit se, & obediuit uoluntati Dei usq; ad profissimā mortem. Quid ergo Christus hac Inanitione, humiliatione, & morte consecutus est? Quod quidem ad alios homines attinet, illud est consecutus, ut cœlestis pater ppter tantā filij obedientiā reconciliaref cum humano genere, ut quotquot crederent in Christum, haberēt remissionem peccatorum, & reputarentur iusti, ac reportarent æternam uitam. Quemadmodum enim (inquit alias Paulus) per inobedientiam unius hominis, peccatores cōstituti fuimus multi, ita per O B E D I E N T I A M unius constituantur multi iusti. Quod autem attinet ad ipsam Christi personam, Deus ὑπεργάλως, hoc est, superexaltauit, seu in summam sublimitatem extulit eum, & donauit ei nomē, quod est super omne nomē. Quod ergo est illud nomen, quod est super omne nomē? Duo sunt præcipue nomina, sicut supra dictum est, in uniuersa rerum natura. Alterum est Deus æternus, rerum omnium creator, quod est nomē super omne nomen. Alterum est creatura, à Deo, suo tempore condita, hoc est nomen infra nomen Dei. Humanitas autem Christi

non

non est Deus ab æterno, sed pertinet in catalogum creaturarum, quippe quæ sit in plenitudine temporis, in utero virginis condita & formata. Quid igitur factum est? Hæc creatura, quæ ad præstandam Deo patri obedientiam deiecit se in mortem crucis, elata est in summam sublimitatem, & donatum est ei nomen super omnem nomen. Cum autem illud nomen, quod omnia alia antecellit, sit nomen DEI, reliquum est, quod Christo homini datum sit DEI nomen, ut homo ille uerus esset Deus, quem omnes aliæ creaturæ, siue cœlestes, siue terrestres, siue infernæ adorarent. Nunquid autem tum primum donatum est ei hoc nomen, cum resurrexit à morte, & ascendit in cœlum uisibiliter? Nihil certè minus. Datum est enim ei, cum in utero virginis è spiritu sancto conciperetur, & æternus filius Dei assumeret eum in eandem personam, ut sicut esset una persona cum filio Dei, ita etiam esset unus cum ipso Deus, & ornaretur omni forma ac maiestate Dei. Quid ergo est, quod Paulus hoc loco dicit eum postquam subiisse mortem crucis, in summam sublimitatem elatum esse, & assecutum nomen Dei? Illud est quod supra diximus, phrasim loquendi esse, quod tūc res dicatur fieri cum simotescit. Resurrectione autem à mortuis & ascensu in cœlum a missione spiritus sancti innovuit in ecclesia Dei, ac publicè patefactum est, quod hic Iesus filius Mariæ nō sit tantum homo, quales sunt alij homines, sed sit ab unigenito filio Dei, in utero matris in unam personam assumptus, & omni diuina maiestate ornatus. Interea autem temporis, dum perageret mysterium nostræ salutis, obtexerit eam humiliatione, ut etiamsi fuerit, tamen non apparuerit uerus Deus, seu uera Dei forma decoratus. Ac ædidit quidem in diebus humiliationis suæ multa, adeoq; tanta miracula, ut & mortuos excitaret, sed ædi-

L ; derunt.

derunt etiam miracula prophetæ, ac Apostoli, & extarunt mortuos, tamen non fuerunt à filio Dei in unam personam assumpti, ideoque nullus eorum fuit uerus Deus. Solus autem Christus homo in Maria à spiritu sancto conceptus, & ex ea natus, assumptus fuit in unam personam ac in consortium ac participationem uniuersæ diuinæ maiestatis. Solus igitur Christus homo, uerus est Deus, quod tum maxime omnium innotuit, cum resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum, ac misit sp̄ritum sanctum, & collegit Apostolica prædicatione ac magnis & multis miraculis, in nomine eius æditis, Ecclesiam ex uniuerso orbe terrarum. Etsi enim non nihil maiestatis sua ostentauit in transfiguratione sua coram tribus discipulis, & in præsentia Moysi ac Eliæ, tamen maiestas eius tum demum, quantum quidem ratio huius seculi ferre potuit, & saluti Ecclesiæ uile fuit, patefacta est, cum excitatus à mortuis misit Apostolis nomine suo sp̄ritum sanctum, & ornauit eos dono linguarum, & ædendorum omnis generis miraculorum.

Habes ueram sententiam eius loci, quem deuhmiliatione & exaltatione Christi, ex Paulo, recitamus, ex quo etiam sumenda est interpretatio omnium eorum, quæ uel in sacris literis, uel scriptis Ecclesiasticorum de persona Christi uariè dicuntur. Primum enim ut persona Christi, & conditiones eius suo ordine explicitur & intelligantur, sciamus quod uantum sit diuina ab æterno essentia, sed quæ constat tribus proprietatibus, per se subsistentibus, quas personas uocamus, & sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus. Deinde filius Dei, qui est secunda persona, in una deitate, & si implet cœlum & terram, sicut Pater, & Spiritus sanctus, ideoque implet etiam omnes homines,

sua præsentia, essentia & potentia, ac in primis Prophetae, & omnes pios homines, singulari quoque gratia, & admirandis donis, tamen nullam aliam creaturam, nullum alium hominem, quantumvis sanctum, ita implet, ut assument eum in unam personam, & effundat in eum omnem deitatis suæ plenitudinem Corporaliter, præterquam solum semen Abrahæ, de quo semine dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Postquam enim uenit plenitudo temporis, emitisit Deus (ut Paulus loquitur) filium suum, qui assument, seu ut Ecclesia canit, induit seruile corpus, non ex muliere cuiusvis conditionis, sed ex muliere uirgine, quæ iuxta promissiones diuinæ, è familia Abrahæ & Dauidis propagata fuit. Hunc autem assumptum hominem filius Dei ita sibi inuiuit, & tam arctè (ut ita dicam) complexus est, ut una esset cum ipso persona, itaque secum eueheretur supra omnem principatum & potestatem, supra omnes creature tam spirituales, quam corporales, supra omnia loca & tempora, adeoque supra omne nomen, quod uel in hoc uel in futuro seculo nominatur, (quemadmodum supra copiose explicatum est) ut non quidem essentia humanitatis mutaretur in essentiam deitatis (Nam in hoc incarnationis mysterio, utraque essentia manet inuiolata & immutata) sed ut homo uerè fieret & esset Deus (hoc est) omni deitatis maiestate ornaretur. Habes nunc hominem, uerum Deum, ideoque immortalem, usuisimum, omnipotentem, omniscientem, omnijustum, omnia impletenti, omnia tam in cœlo, quam in terra, coram gubernantem. Et si quid huius maiestatis illi homini ademeris, iam ademisti ei plenitudinem & gloriam

& gloriam deitatis, & negas eum uerum esse Deum. Sed quia ille homo, quem æternus filius Dei in suam ipsius personam assumpserat, ac uerum Deum fecerat, ad hoc destinatus fuit, ut arrogantiam, qua humanum genus in Adamo æqualitatem Dei, contra uocacionem eius, affectauerat, expiaret, non debuit inter homines maiestatem suam arroganter ostentare, ne arrogantiam arrogantiæ cumularet, sed debuit quod contrarium est, humilitatem sectari, ut quod arrogantia peccatum erat, humilitate expiaretur. Quare & si ab initio incarnationis collocatus est à filio Dei in summa deitatis sublimitate, tamen non uoluit eam contra uocationem usurpare. Quod ut adhuc apertius explicetur, distribuemus ea, quæ accidunt personæ Christi, in suum quæc gradum. Primus gradus est diuinæ maiestatis. In hoc gradu Christus homo, iam inde ab incarnatione semper constitut. Nunquam enim non fuit ab eo tempore uerus Deus, nunquam non fuit in summa deitatis sublimitate, quam & in perpetuum nunquam amittet. Secundus gradus est inanitionis seu humiliationis, in quo gradu in diebus carnis suæ, sicut Apostolus loquitur, constitut, usq; ad resurrectionē. Tertius gradus est œconomiae seu dispensationis. Etsi enim tota uita Christi, qua inter homines in hoc mundo conuersatus est, potest dici œconomia, tamen docendi gratia distinguimus in præsentia œconomiam ab humiliatione, & uocamus œconomiam, qua Christus post resurrectionem, ac etiam post ascensum suum in cœlum, apparuit in uno certo loco, & apparebit in nouissimo die. Consideremus igitur huius doctrinæ usum. Christus homo conceptus est de spiritu sancto, in utero unius tantum uirginis Mariæ, & circumscriptus est ab eo utero usque ad ordinarium nascendi tempus.

Nec

Nec hoc factum est in ulla aliarum uirginum, siue uicinarum, siue longe absentium. Recte & uerè. Erat enim tempus exinanitionis & humiliationis eius, nec dum maiestatem suam manifestauerat. Christus homo natus inuolutus est fascijs, & reclinatus in præsepi. Itaque non fuit tunc in alio loco, quam in præsepi, si inanitionem & humiliationem eius respexeris. Si autem consideraueris maiestatem eius, ad quam tunc euerctus erat, non potuit in præsepi teneri, quin impleret uniuersum orbem. Ecclesia recte & p[ro]le canit. Paruo lacte pastus est. Ecce inanitionem et humiliationem. Et sequit[ur]. Per quem necales esurit. Ecce gloriam & maiestatem. Ignorauit diem et horam extremi iudicij exinanitione, sed omnia tam præsentia, quam futura fuerunt in conspectu eius, maiestate. Cum Lazarus mortuus esset, dixit Christus ad discipulos. Gaudeo propter uos, ut credatis, quod non fuerim ibi. Recte. Non fuit ibi, iuxta inanitionem & humiliationem, & iuxta externum habitum. Et tamen iuxta maiestatem suam, non solum aderat morienti, unde & ipsum esse mortuum discipulis adnunciabat, uerum etiam aderat omnibus mortuis, ut conseruaret eos ad futuram resurrectionem. Ingressurus asina in Hierusalem, erat in Bethania, non in castello, exinanitione. Et tam[en] aderat in castello maiestate. Videbat enim coram quid de asina & pullo ageretur: audiebat etiam iam tum, quid dicturi essent domini eorum. Sicut & antea uidebat absens Nathanaelem sub ficu. Fateor. Viderunt etiam Prophetæ absentia, ut Elizeus seruum suum currem post Nahemanum, & insidias Syrorum. Sed quod hi uiderunt singulari Spiritus dono, eorum non perpetuo, hoc Christus uidit naturali sua et propria maiestate, qua iam inde ab incarnatione, a filio Dei ornatus erat. Pedebat

M
bat

bat Christus in cruce exinanitione, & humiliatione, qui maiestate obscurabat solem, cōcutiebat terram, disrumpēbat uelū templi, & scindebat saxa. Esuriebat & sustinebat humiliatione, qui maiestate pasebat, non solum quinque millia in deserto, uergetiā oves & boues universos, insuper et pecora cāpi, uolucres cōeli & pisces maris. Metuebat mortem humiliatiōe, qui omnia uiuificabat maiestate. Capiebat ab hostibus exinanitione. Et tamen maiestate sua non solum restituebat omnibus in toto orbite terrarū & grotis sanitatem, qui quidem periodum uitæ suæ nondum perambulauerat. Moriebatur in cruce, iuxta humilationē. Et tamē conseruabat in uita, omnes uiuētes, iuxta maiestatē. Iacebat in sepulchro mortuus, exinanitiōe. Gubernabat uiuus cōlū & terra, maiestate. Atq̄ hēc quidem tēpore humilationis ante resurrectionem, quae si uidentur humanæ rationis minimē conservantia, cogita nec illud ei cōuenire, quod homo sit Deus, & Deus sit homo. Et aliud sit, Esse humiliatū, aliud, Esse in diuinam maiestatem exaltatum. Videamus nunc tēpus post resurrectionem Christi, in quo locum habet cōconomia, seu dispensatio. Vocat autem dispensationem cūm aliquid de ordinario iure relaxatur. Ordinariū autem ius Christi, est Maiestas diuinatatis eius, ad quam in incarnatione est electus, & quae in resurrectione aliquo modo declarata est. Oeconomia igitur est, cū Christus aliquid agit, aut appetet, non pro sua maiestate, sed pro nostro captu, & ad nostram utilitatē. Cūm Christus surrexisset à mortuis, & quereret à mulierculis in sepulchro, dixit angelus, surrexit, Non est hic, Verē dictum, non autem iuxta maiestatem, sed iuxta oeconomiam. Non erat in sepulchro mortuus, qualem mulierculæ quarebant. Non erat in sepulchro iuxta externum aspe-

etum. Erat autem non in sepulchro tantum, uerum etiam
in celo & in terra iuxta diuinitatis suae maiestatem. Vo-
co autem in praesentia, (sicut & suis locis supra) diuinita-
tem Christi, non eam, quam filius Dei in se ab aeterno
habuit, sed quam tempore incarnationis filio hominis
communicauit, seu, ut Augustini uerbo utar, participa-
uit. Alia enim est diuinitas communicans seu partici-
pans, alia communicata seu participata, sicut aliud est do-
nator, aliud donum ipsum. Christus igitur iuxta partici-
patam carni suae diuinitatem implebat cœlum & terram,
qui tamen iuxta œconomiam, non erat amplius in se-
pulchro. Christus apparuit Mariæ Magdalena hortula-
nus, duobus discipulis euntibus ad Emmaus peregrinus,
Thomæ & reliquis discipulis notatus cicatricibus, in
manibus, latere, & pedibus, & alias alia forma & habi-
tu. Quid? Num talis semper est in regno Patris sui, in
quod resurrectione sua intrauerat, seu se intrasse testifica-
tus erat? Nihil minus. Apparet talis, iuxta œconomiam,
qui iuxta maiestatem suam, nullo humano oculo erat
comprehensibilis, Idcirco latus (inquit Cyrillus) & ma-
nus clavis perforatas ostendit, ut illud corpus, quod
cruci fuit affixum, surrexisse monstraret. Ex dispensa-
tione igitur Dominus noster Iesus Christus, non in
DEBITA Corporis sui GLORIA, sed in prima si-
gura cernebat, ne aliud corpus, quam quod de uirgine
assumpsit, surrexisse putares, quam quod crucifixum
& mortuum fuit. Nos comedimus, inquit Petrus, & bi-
bimus unum cum illo, posteaque resurrexit a mortuis. Quid
ergo? Edit ne ac bibit Christus, iam immortalitate illu-
stris? Edit ac bibit, ex œconomia, qui ex maiestate sua
omnibus præbebat cibum ac potum. Deambulabat
ad mare, & quarebat a septem discipulis obsonium.

M 2 Hæc

Hæc erat œconomia. Interea inducebat multos & magnos pisces in rete discipulorum, & conseruabat rete ne scinderebatur, & parabat in littore carbones ac pisces admirabiliter. Hæc erat maiestas. Hic uenit mihi in mentem eius loci, quem ex Hieronymo recitaueram, quo ille respondet Marcellæ interrogati: Vtrum post resurrectionem, quadraginta diebus, Dominus cum discipulis conueratus sit, & nunquam alibi fuerit, & latenter ad cœlum ascenderit, atque descenderit, & nihilominus Apostolis suam præsentiam non negarit? Quam mirifice autem torquet se Martyr, ut uel Hieronymum ab impostura excusat, uel scriptū eius, quo manifeste docet, Christum uno eodemque tempore fuisse, & cum Apostolis quadraginta diebus, & cum Angelis, & in Patre, & in extremis maris finibus in omnibus locis uersari: Cum Thoma in India, cum Petro Romæ &c. ad diuinitatem tantum infl ectat. Hic certè si Hieronymus non ridet Marcellam de præsentia humanitatis interrogantem, sed rectâ ad quæstionem Marcellæ respondet, necesse habet ea scripturæ dicta, quæ de præsentia Dei in omnibus regionibus recitat, intelligere non de diuinitate tantum, sed de tota persona Christi, que & diuinitate & humanitate constat. Si enim diuinitas filij Dei, quæ humanitatem in eandem personam assumpsit, & in æqualitatem suæ maiestatis euexit, cœlum & terram implet, necessario sequitur, humanitatem quoque ea implere, non quidem cœconomia, sed maiestate. Huc pertinet quoque alter locus Hieronymi, in quo ille aperte scribit, Agnum (hoc est) Christum humanitate sua esse ubique. Et Ambrosius: Licet (inquietus) ubique sis, & stans in medio nostrum, non cernaris a nobis, erit tamen tempus, quo uniuersa caro te aspiciat reuertentem, &c.

Hac

Hæc ueterum dicta recitaueram, ut ostenderem, ne patres quidem, cum loquuntur de maiestate humanitatis Christi, negare, quin Christus impleat omnia & sit ubiq. Quid autem Cinglani? Fascinati sunt suo somnio de celo Empyreo, in quo Christus nunc sedeat, nunc stet, nunc ambulet, & de conditione corporis, quod non possit esse uerum corpus nisi loco circumscribatur. Primum igitur omnium sicut trahunt & torquent perspicua uerba Coenæ: Hoc est corpus meum, Hic est san-
guis meus, confictis glossis ad sua somnia, ita et Patrum aperta dicta inflectere quoquo modo possunt, ad suum institutum student. Deinde exclamant: nec sacram scri-
pturā nec ueteres Scriptores à parte nostra stare. Quid ergo facias cum eiusmodi hominibus? Si recitaueris te-
stimonium Scripturæ, deprauant. Si adduxeris testimo-
nium Ecclesiasticorum scriptorum, aut negant eorum autoritatem, aut peruerunt eorum sententiam. Sed de Ecclesiasticis scriptoribus fortassis aliás, loco oportunio-
ri. Nunc in instituto pergemus. Tractamus enim de œ-
conomia Christi post resurrectionē eius à mortuis. Ap-
paruit enim in Galilæa plusquam quingentis fratribus,
& postea collocutus in Iudea cum discipulis, sublatus est in altum, & subductus per nubem ab oculis eorum.
Hæc est œconomia. Non enim sentiendum est, quod Christus ea forma, qua uisibiliter ascēdit usq; ad nubes, uestetur in celo empyreo, in quo stet, sedeat, aut ambulet, idq; physico modo. Sed est in cœlesti regno ea maie-
state, quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitat. Post missum Apostolis Spiritum san-
ctum apparuit Stephano stans à dextris Dei. Nunquid ea erat forma, qua tunc semper in regno cœlesti uersa-
tur? Nihil certè minus, Sed erat œconomia, qua Chri-

stus sese capti Stephani eatenus accommodabat, quatenus ad consolationem in extremis periculis sufficiebat. Si autem de maiestate eius sermo fuerit, non sic in uno loco stabat, sed implebat cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Apparuit Paulo in uia, cum iret ad Damascum. Nec apparuit tantum, uerum etiam collocutus est cum ipso. Ego (inquiens) sum Iesus, quem tu persequeris. Nec hac tantum uice apparuit ei, uerum etiam aliâs sâpenumero. Additur enim: Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum, ac testem, & eorum quæ uidisti, & eorum, in quibus APPAREBO TIBI, &c. Nunquid ergo hac forma, qua apparuit Paulo, uersatur physico modo in regno suo cœlesti? Hæc certè forma nō erat plena eius maiestas, sed erat œconomia, qua patefaciebat se Paulo, quātum præsens negotiū exigebat. Nec somniandum est, quod Christus deambulauerit in cœlo Empyreo, & interea miserit suo nomine Angelū, qui cum Paulo colloqueretur. Paulus enim probat hoc argumento, ueritatem resurrectionis Christi. Postremo, inquietus, uisus est & mihi. Quod si angelus nō Christus ipse coram præsens uisus & collocutus fuisset Paulo, nō constaret argumentum. In extremo die iterum appetabit in nube, quemadmodum discipuli uiderunt eum abeuntem, iudicaturus uiuos & mortuos. Hæc est œconomia. Etsi enim apparebit tunc, tam pijs, quam impjs in aliqua maiestate, ea tamen non erit illa, qua perpetuò in cœlesti regno dominabitur, & qua erit omnia in omnibus. Huc nunc Patrum dicta conferantur. Sufficit autem in præsentia unus Augustinus pro omnibus. Quantæ enim molis esset in singula eorum, quos Cingiani recitant, dicta, singulos scribere commentarii. Augustinus igitur ait: Erat Christus secundum uisus

bilem

bilem carnem in terra , secundum inuisibilem maiestatem in cœlo & in terra . Accipio hoc & similia Patrum dicta, si secundum ea quæ suprà perspicuis testimonijis sacrae Scripturæ , de humilitatione, exaltatione , & cœconomia Christi explicuimus, intelligantur . Christus erat (inquit Augustinus) in terra iuxta uisibilem carnem . Rectissime . Etsi enim Christus ea erat forma , ea maiestate, iam inde ab initio incarnationis , ut potuisset nec humanis oculis uideri , nec humanis manibus palpari , quippe , qui à filio Dei in unitatem personæ assumptus , implebat cœlum & terram , tamen inanivit , humiliauit & demisit sese , ut & uideretur & palparetur , adeoque loco circumscriberetur . Erat igitur in terra secundum uisibilem carnem , secundum maiestatem aut inuisibilem erat in cœlo & in terra . Et quæ fuit illa inuisibilis maiestas ? Num ea , quam habuit Filius Dei ab æterno , etiam priusquam filium hominis in unitatem personæ suæ assumpsiisset , & extulisset ? Rectè . Sed num ea maiestas , non fuit , in incarnatione , filio hominis assumpta , cōmunicata , & participata ? Certè , nisi negaueris filium Dei & filium hominis unam esse personam , unum filium Dei , unum filium hominis , unum Christum , unum hominem , unum Deum , adeoque uerum Deum , necesse habes affirmare , eam filij Dei formam , eam maiestatem , filio hominis communicatam esse . Paulò autem enim clare ostendimus , eum quamvis sua substantia finitum , fuisse infinitæ huius maiestatis , uoluntate Dei , capacem factum . Quare , cum dicitur uel ab Augustino , uel ab alijs Patribus , Christum esse tam in cœlo , quam in terra , secundum inuisibilem maiestatem , non est intelligendum de diuisio , sed de toto Christo , non de ea tantum maiestate , quana

quam habet deitas ab æterno, sed de ea quoq; quam accepit humanitas, in incarnatione, ut quod deitas habuit ab æterno beneficio suæ naturæ aut essentiæ, hoc accedit humanitas beneficio gratiæ, quam uocat unionem seu assumptionem. Ad eundem modum, cum post ascensionem Christi in cœlum, dicitur corpus Christi esse, in uno tantum loco cœli, maiestatem autem eius diffusam esse in cœlo & in terra, Siquidem intelligitur corpus Christi secundum œconomiam, quoties apparet, apparet tantum in uno cœli loco, cum tamen interim, maiestate sua, in qua à filio Dei assumptum est, impletat universum orbem, rectè & piè dicitur. Quod si autem Patres ipsi, uel veteres, uel recentiores, aut aliter sensisse uidentur, aut à Cinglianis aliter sensisse coguntur, & tunc quentur, ipsorum non Ecclesiæ periculo fiat. Nos quidem Patrum dicta reuerenter excipimus, & ea magna animi promptitudine iuxta analogiam fidei explicamus. Sed si Cingliani pertrahunt eos uel in uitios, uel etiam uolentes in impia sua castra, dolemus quidem ex animo, non tamen uisum est nobis, propter obscurè aut inconsideratè dicta Patrum, odiosum certamen in Ecclesia ciere, & ueritatem oraculis Sp̄iritus sancti in scriptis Prophe-ticis & Apostolicis traditā, deserere. Et alia est patrum, alia Cinglianorum ratio. Iudicamus Patres, ea fuisse & pietate & modestia, ut si quid carnali imaginatione preoccupati, senserunt aut scripserunt, quod cum analogia fidei non omnino conueniat, admoniti libenter mutassent. Cingliani autem quamuis s̄æpe multis scriptis admoniti, tamen usq; adeo non relipiscunt, ut multo per uicatores aduersus doctrinam uerè piam fiant. Quare quod in Patribus ueniam meretur, id in Cinglianis excusari non poterit. Sed hactenus de capacitate finitè substantiæ

stantiae in Christo, & de humilatione ac exaltatione &
maiestate eius satis dictum uidetur. Nunc ad alia quoq;
quæ Cingliani nobis obtrudunt, explicanda trâseamus.
Dicunt, nulla uî, nec humana, nec diuina fieri posse, ut
corpus manens uerum corpus, uel non sit in loco circu
scriptum, uel fiat spiritus, uel extendatur localiter in plu
ra, aut omnia loca. Antequâm autem dicamus de ratio
ne omnipotentiæ Dei, refutanda est insignis iniuria Cin
gianorum, qua nos publicè traducunt, perinde ac si in
hypostatica filij Dei & filij hominis unione mutaremus
carnem in sp̄itum, & coextenderemus eam localiter,
una cum sp̄itu in omnia loca. Sexcēties repetunt & in
culcāt in suis scriptis, carnē non esse coextendendā cum
diuinitate. Quo innuūt, nos hanc absurditatem docere,
quod cùm dicimus humanitatē Christi, maiestate sua,
in quam à filio Dei euecta est, omnia implere, sentiamus
eam corporali & crasso modo in omnia loca extendi,
aut cùm diuinitate coextendi. Hoc figmento sperant su
os, qui nostra aut non legunt, aut si legunt, non expen
dunt, & abominantur tantam absurditatem, in errore te
neri posse. Sed Deo ulti oruindictam cōmittamus. No
bis enim ne per somnium unquam in mentem uenit,
quod in incarnatione Christi, caro uel mutetur in sp̄i
tum, uel coextendatur corporali, & ut ita dicam, quanti
tati uo modo, cum diuinitate. Neque enim diuinitatem
ipsam, que est res simplicissima, & ubi cunq; est, ibi tota
est, extendimus iuxta carnalem humanæ rationis ima
ginationem, in plura aut omnia loca, sicut alicubi suprà
meminimus. Quomodo igitur, sicut & suprà dictū est,
coextenderemus cū ea carnem Christi? Sed dicimus, q
in incarnatione filius Dei extulerit carnē, seu hominem
assumptum in omnē sublimitatem, ut quemadmodū

N ipse

ipse antea impleuerit omnia cœlesti, & nobis incomprehensibili modo, ita nunc homo ab ipso in unitatem personæ assumptus, & in cœlesti maiestate collocatus, omnia impleat, non crasso, mundano, & physico, sed eo modo, quem oculus non uidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit. Si Cinglianî hunc modum non intelligunt, mirum non est. Mirum esset si intellegent. Proponitur enim nobis, non carnali ratione intelligendus, sed spirituali fide credendus. Et quia fides est ex auditu, auditus autem per uerbum Dei, recitauimus supra copiose, è scriptis Propheticis & Apostolicis, uerbum Dei, quo Spiritus sanctus docet, Christo homini omnia esse subiecta, omnem ei potestatem in caelo & terra traditam, exaltatum eum esse supra omnem principatum, supra omnem locum, supra omnes cœlos, adeo que supra omne nomen, siue in hoc siue in futuro seculo, ut omnia impleret. Si ergo Cinglianî non possunt a filium impletōis modum, præter crassum, corporalem, & localem comprehendere, qui nos sumus, qui tenbras eorum tam crassas depellere possemus? Ethiciterum uide mihi modestiam Martyris. Statui docēdi gratia, triplicem ubiuitatē, Localem, Repletuam, & Personalem. Ibi uerecundus scilicet uir, etiū habet, quod me cum expostularet, quia inducam uoces peregrinas, à sacris literis alienas, & à Patribus non usurpatas, tamen quia dico me docendi gratia sic loqui, uult mihi parere, & id non exagitare. Sed quas, quæso, induco ego uoces à sacrīs literīs alienas & à Patribus nō usurpatas? Vox ubiuitatis, uestrum est figmentum, & è uestra Schola profectum, quod cùm ego tanquam portentosum abominarer, tu belle admodum excusas, portentoso, inquiens, dogmati, portentosum uocabulum

Ium imponendum fuisse. Sic isti hominum agminis portentosum dogma est, Christum elatum esse in summam sublimitatem, & super omne nomen, ut omnia impleret. Deinde quid nomine loci, à quo deducitur uocabulum (localis) frequentius est tam in Sacris literis, quam in Patrum scriptis? Adhæc, cùm nonnulli dixerunt, Deum esse ubique repletuè, manifestè sumptum est ex illo Hieremiac loco, cœlum & terram ego repleo. Sic enim aliquot exemplaria legunt. Postremo, ex quibus scripturæ locis nomen personæ sumptum videatur, & tribus proprietatibus per se in una deitate subsistentibus, ac etiam Christo Deo & homini attributum sit, suprà ostendimus. Quæ est ergo illa Martyris ignorantia, quod uociferetur, me induxisse uoces à sacris literis alienas, & à Patribus minimè usurpatas? Hinc uides, optime Lector, quæ sit fides Martyni etiam in similibus habenda. Deinde admiratur, quod duo genera ubiquitatis posuerim, personaliter, & repletuè, cum alterum ab altero nil distare videatur. Nonne satis, inquit, fuisset dicere, ubiquitas repletiva est, quæ homini Christo propter unitatem cum diuina persona tribuitur? Vides insignem reprehendendi libidinem in Martyre. Non est obscurum, quod uariasint genera distinctionum, inter quæ, si ullum habuisset candorem, hanc speciem inuenisset. Deinde obseruauit ipse, me hanc distinctionem docendi gratia statuisse. Potuisse enim, ut recte monet, & uel tandem aliquid sani dicit, duas has species, Repletuam & Personalem, sub una Repletua comprehendere, Sed quia est tamen aliquid inter eas discrimen, & aliam quoque habui causam, non omnino contemnendam, malui duas species,

quam unam constituere. Non enim ignotum est mihi, quanto calumniandi studio teneantur Cingliani, & quam facile bene dicta in peruersum sensum torqueant. Metu igitur calumniae (ut ingenuè dicam, quod res est) posui duas species: alteram, qua sola diuinitas qualis fuit ante incarnationem Christi, alteram, qua humanitas una cum diuinitate, qualis est post incarnationem, comprehenderetur, ne si unam tantum Repletiam speciem posuisset, exclamarent, me ex diuinitate & humanitate, unam facere naturam seu essentiam. Sed accidit mihi, iuxta proverbiū, ut qui nolui uitare Charybdim, incide rem in Scyllam. Quid ergo tutum esse potest à mortibus sycophantarum? Et ne non ubiuis ostenteret Martyr insignem suam scilicet eruditionem & industriam, reuocat nos etiam ad Donatum, & docet, ubique esse aduerbiū loci. Hinc reprehendit nos, quod ab hoc aduerbiū loci abiungamus localitatem, præsertim cùm de corpore fuerit sermo. Vides igitur huc crastum Theologum, non posse, ne diuina quidem omnipotentia in corpore aliam, nisi localē, iuxta Aristotelis dogmata, existētiā inuenire & intueri. Sed uideamus quid illud sit, quod dicunt, nulla potentia fieri posse, ut corpus salua substantia eius, nō sit in loco. Constituamus igitur initio ueram rationem eius loci, de quo in corporū mentione, sermo est. Nō. n. loquimur nūc de loco *υειδε φορηνως*, cū transferatur ad res spirituales. Dubium, n. nō est, quin Deus, qui est spiritus, fuerit ante conditū mundū, ab æterno. Vbi ergo fuit? Nondum erat locus creatus. Non igitur erat Deus in loco. Non est corpus. Non igitur erat in loco loca liter aut corporaliter. Et tamē quia non erat nihil, aliquibi fuerit, necesse est. Sunt & angelī spiritus, sed creati, & ut multi pīj sentiūt, creati sunt ante mundū conditū. Cū igitur

igitur post creationē non fuerint nihil, & nondū erat locus, ubi ipsi tum erāt. Responderi potest, apud Deū. Re
 stē. Sed ubi tū erat Deus? Apud semetipsum. Et hoc re
 stē. Hinc ergo sequit, quod soleamus dicere, Deū tum si
 bi ipsi fuisset locum. Quis aut tam stupidus esset, qui audi
 to nomine loci, in hac de Deo locutione, intelligeret ex
 tensam quandam corporis cōtinentis superficiē, & non
 potius uideret hoc nomen ē sua propria significatione a
 liō translatū. Diuina, n. illa, proprijs & appositis uerbis,
 exprimi à nobis nō possunt. Translatijs utendum est.
 Neq. n. uel Deo uel angelis, talis locus, qualis corpori
 bus, suis in hoc mādo terminis circūscriptus, competit.
 Quare cū in præsentia loquimur de corporibus, non est
 nobis sermo de loco metaphorice sumpto, sed de loco
 propriè dicto, qui sit corporis cōtinentis superficies. Cū Fol. 3.
 igitur Martyr, & qui eum præcedūt Cinglani, & qui se Fol. 22.
 quanf, docere conantur, corpus humanum non posse
 non esse in loco, & nisi fuerit in loco, nō esse amplius ue
 rum corpus, nomē loci intelligendū est de loco propriè
 dicto, quemadmodum Martyr ipse disertis uerbis affir
 mat. Humanū (inquiēs) corpus quale quale fuerit, & cui Fol. 56.
 cunq; uolueritis naturæ unitum, idq; unitate qua libue
 rit, non potest uerè implere locum nisi localiter. Et aliās: Fol. 59.
 Cū de loco, (inquit) agimus, & illum humanę Christi na
 turę cōparamus, Nō possumus, nec debemus à geome
 trico spacio, cogitationes reuocare. Ac eō temeritatis & Fol. 4.5. & 6
 impietatis progredī, ut sentiat ne diuina quidē potētia
 fieri posse, ut corpus humanum, manente incolumi sub
 stantia eius, sit absq; loco localiter, aut sit in pluribus aut
 omnibus locis. Vnde, queso te, Cinglani tam eximiam
 sapientiam hauserūt? Quid uerò tu solicite inquiris? An
 non Martyr palām testatur, senon posse cogitationes,

cum locus comparatur humanæ naturæ, à geometrico
spacio auertere? Et his adscribit se etiam philosophus
philosophorum Aristoteles, cuius irrefragabile dogma
est, Omne corpus est in loco. Non enim existimes Ari-
stotelem hoc scripsisse è somnio sui capitîs, sed è Spiri-
tu sancto. Verum enim, (inquit Martyr, de hoc Aristoteli-
telis axiomate loquens) à quocunq; dictum fuerit, ut à
Spiritu sancto prolatum amplectimur. Et nisi mox re-
garet Aristotelem ad spiritum prophanum: Vbi idem
(inquiens) philosophus deceptus est, & pugnantia cum
pietate docuit, illi minime omnium suffragamur, &c.
Et iterum: Extra cœlum (inquit) nullum esse corpus (id
quod Aristoteles docuit) in uniuersum non assentimur
&c. profectò teneri nō potuisse, quin crederem eum
collocasse Aristotelem inter diuos in cœlo Bullingeri,
inter quos Patriarcha ipsorum collocauit Herculem.
Numam Pompilium, & alios quosdam sanctos scilicet
heroas Ethnicorum. Habemus igitur huius sapientia;
de corporibus necessario in loco existentibus, autorem
non eum Spiritum sanctum, qui datus fuit Prophetis &
Apostolis, sed illum qui datus est humanis cogitationi-
bus Martyris, & ante eum summo ingenio Aristotelis.
Sed quis ex veteribus Patribus (quod Martyr admodū
insolenter exposcit) secus aut dixerit aut scripsierit, supra
non nihil non solum ex Hieronymo & Augustino, ne-
rumetiam ex Prophetis & Apostolis, qui sunt Patres
Ecclesiæ, illis longè uetusiores, & autoritate longè ex-
cellentes, demonstratum est, & suo loco iterum, uo-
lente Deo, demonstrabitur. Nunc prosequamur insti-
tutum. Adimunt omnipotentiae Dei, quod non posse
conseruare corpus humanum, salua substantia eius,
absque loco. Ingrediamur ergo prius cum hoc do-
gmate

gmate in scholam Dialecticorum , postea in scholam Spiritus sancti . In illa enim docentur etiam pueri , aliud esse substantiam seu corpus , aliud inhærens , seu accidentis corpori . Et quæ sunt inhærentia , posse citra subiecti corruptionem (ut ipsi loquuntur) adesse & abesse . In ea autem Schola extra controuersiam est , quod , Esse in loco , non sit de ratione corporis . Locus enim (inquiunt) non ingreditur in corporis definitionem . Cùm igitur publico huius Scholæ consensu , Esse in loco , possit corpori adesse & abesse , citra eius corruptionem , quæ est illa Martyris & suorum sectario , rum temeritas , quod audeant , ne omnipotentiæ quidem Dei concedere , quod Dialecticorum schola ultrò concedit . Et ut uideas hos homines seipso temeritate uincere , affirmant alicubi se de præsentia corporis Christi in Coena , à nostra sententia ita abhorre , ut si alterutrum esset eligendum , malle se Papistarum , quam nostram sententiam sequi . Quid obsecro , à sorbris hominibus magis alienum & Papistæ sentiunt in Eucharistia accidentia subsistere sine subiecto . Nos sentimus , quod subiectum seu corpus possit subsistere , etiam si non sit in loco , propterea quod Esse in loco , non sit in ratione corporis , sed accidentis eius . Vtrum igitur tolerabilius est , & rationi magis consentaneum ? An non , corporis esse , ut illi loquuntur , est per se subsistere , Accidentis autem esse , est inesse . Tu uero manus credere , Albedinem & magnitudinem posse esse absque corpore , quam corpus posse esse absque loco . An non hoc est manifestum emotæ mentis argumētum ? His igitur hominibus opus esset Elleboro , si qua ratione fieri possit , ut ad sanitatem mentis redirent . Sed quia sumunt sibi pro sua autoritate , ex Aristotelica schola ius probādi

& damnādi quę libet: & fortassis illud quoq; quod de in
herentium natura exposuimus, abiiciēt, agedum, ingre-
diamur in scholam Spiritus sancti, ut in ea ueritatem hu-
ius rei cognoscamus. Etsi enim Cinglianis, hac in re, pa-
rum aut nihil est negotiū in hac schola, quippe quibus id
studij est, ut initio suam de rebus spiritualibus sententiā
ex Aristotelis axiomatis petant, deinde ad eam dicta sa-
cræ scripturæ torqueant, tamen Ecclesiæ filij Dei gratia
candum est, ut cum usq; ad rauim ferè uociferentur, nos
de corpore Christi sequi nouū, absurdū, peregrinum, &
falsum dogma, quod pugnet tam cum sacris literis, q
cum docta ueritate, iniuria eorum manifeste cognosca-
tur. Reuocemus igitur in memoriam, quę suprā ex Pau-
lo de maiestate Christi recitauimus. Vocent sanè homi-
nes illi, insigni scilicet sermonis lepore, uenustate & elo-
quentia ornati, coccysnum, si quando, quę ad rei expli-
cationem necessaria uisa sunt, suo loco repetuntur. Nos
aut non pudebit cœlestem uocem, quam scimus Satanę
esse odiosissimam, in ore semper circuferre. Paulus igitur,
ille nimirum, qui raptus est non in cœlum Cinglia-
norum, in quo Christus nunc stet, nūc sedeat, nunc aut
ad fallendum temporis tedium, aut ad captandā in tan-
ta cœlestis regni gubernādi mole, recreationem, aut ad
inspiciendas cœlitum mansiones (quæ enim aliæ essent
in cœlo physicæ motionis, quam fingunt, causæ?) in a-
prico campo deambulet: Sed raptus est, in Paradisum,
inque illud cœlum, in quo Christus in Maiestate sua se-
det ad dexteram Dei Patris sui omnipotentis. Ille,
inquam, Paulus, cùm de Maiestate Christi, Totius,
inquam, Christi, non diuinitatis tantum, sed & huma-
nitatis eius, Ecclesiam eruditet, Deus (inquit) ex-
tulit illum, in summam sublimitatem, ac donauit
illi

illī nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu, omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium & inferorum. Et iterum: Deus sedere fecit eum ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutem & dominium, & OMNE NOMEN, quod nominatur, non solū IN SECULO HOC, verum etiam in FUTURO. Et omnia subiecit sub pedes eius, &c. Hic nunc uideamus, ubi sit Christus cum suo corpore, illo, inquam, corpore, quo expiavit pro nobis in ligno peccata nostra. Ecce igitur tibi, inuenimus illum elatum, non tantum super omnem terram, verum etiam super omnes cœlos. Et necdum sat. Elatus enim est super OMNE NOMEN, super omnia que cuncti nominari possunt, siue in hoc siue in futuro seculo, & inter creaturas tam terrestres, quam cœlestes. Inter nomina autem continetur & locus, quemadmodum supra indicauimus: continetur etiam (quamvis uano nomine) coelum Empyreum. Quare nihil aliud reliquum est, quam quod Christus cum corpore suo non solum non concludatur, uel ullo alio loco, uel locali illo, quod Cinglani fingunt, empyreo coelo, verum etiam pene trauerit, & euaserit omnia loca, siue supera, siue infera, siue terrena, siue cœlestia. Quò ergo peruenit? Quò Nisi ad Deum patrem suum, illum uidelicet beatum, & solum principem, regem regnantem, & Dominum dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucem habentem inaccessam. Quem nemo hominum uidit, neque uidere potest. Vbi ergo ille pater est, & ubi habitat? Lumen (inquit) habitans inaccessam. Cui autem est inaccessus? Num Christo? Absit. Filius Dei, qui est in sinu patris, & assumptus filium hominis in eandem personam inseparabiliter, cui etiam donauit Deus pater nomen super omne nomen, toties testatus est, se ex hoc mundo

O irad

ire ad Deū suū & Patrē suū. Et aliās dicit: Omnia mihi tra-
dita sunt à patre meo. Et nemo nouit filiū nisi Pater. Ne
que patrē quisq; nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius re-
uelare. Manifestē igit̄ significat, se solū in hāc lūcē omni-
bus alijs (nisi qbus ipse patefacere uelit) inaccessā intras-
se. Quæ est ergo illa Cinglianorum temeritas, q; audet
palā factare, Christū in cœlo illo suo stare, sedere & de-
ambulare, idq; localiter: Ecquādo, obsecro, accesserūt
lucē illā inaccessam, ut uidissent Christū localiter stantē,
sedentem aut deambulantē: Aut quando hoc est ipsis a
Christo patefactum: Respondēt: Christus similis nobis
per omnia factus est. Et transfigurabit corpus nostrū hu-
mīle, ut cōforme reddat corpori suo glorioſo. Cum igit̄
nostra corpora nō sint, nisi in certo loco, fieri nō potest,
quin & corpus Christi, qd & nostris corporib. simile est,
& cui nostra corpora in resurrectione cōformia erunt,
non sit nisi in certo loco, &c. Evidē agnosco verba
Apostolica, nō aut agnosco sequelā eorū, quā nō ex A-
postolicis, sed Aristotelicis scriptis sumpterūt. Christus
enī assumpsit corpus, nostro per oīa, absq; peccato, si-
mīle, humiliatione, quēadmodū suprà ex Apostolo, nō
ex Aristotele, demōstrauimus. Deinde aliud est, corpo-
ra esse in hoc mūdo, in quo sunt animalia, aliud in regno
cœlesti, in quo sunt spiritualia. Deniq; in glorificatione,
nostra corpora erunt corpori Christi cōformia, sed ita,
ut tam ē ipse maneat caput & habeat nomē super omne
nomen, nos autem membra, & quod membris compe-
tit accepturi. Sed pergamus in instituto. Diximus Chri-
stum cū corpore suo accessisse ad Deū patrē, qui lucem
habitat inaccessam. Vbi est ergo Deus pater: Vbi est
lux illa inaccessa: Hic iterum non est ingrediendum in
scholam Aristotelis, in qua omne corpus est in loco,
sed in scholam spiritus sancti, in qua Christus accessit

ad patrem suum. Pater autem ibi est, ubi se esse suis ipse
verbis testatur. Cœlum, inquit, mihi sedes est, & terra
scabellum pedum meorum. Et cœlum & terram ego
impleo. Reliquum igitur est, quod & Christus filius Dei
vnâ cum corpore suo eò accessit, ut cœlū sit sedes eius,
& terra scabellum pedū suorum, ac impleat sua maiesta
te cœlum & terrā. Sed hoc, inquit, pugnat cum natura
humanī corporis. Quid hoc ad me? Pugnat, fateor, a
pud Aristotelē. Non aut pugnat apud Apostolos, non
pugnat apud Deū patrem Domini nostri Iesu Christi,
qui cùm iusserit suū filium cum corpore suo sedere ad
dextram suā, & habere nomen supra omne nomen, iam
id eius est natura. Quod enim Deus iubet, id rei natura
est. Manifestum igitur est, quod etsi corpus huma
num nō potest esse, uel sine loco, uel in omnibus locis si
mul, in schola philosophorum huius mudi, tamen id in
corpore Christi nō solū potest esse, sed etiā reuera est in
schola sp̄ritus sancti. Cæterū, cū dico corpus humanū
posse, citra substantiæ corruptionem, sine loco esse, nō
intelligo corpus nusquam, aut non amplius esse. Sed
ita uerè esse, ut tamē non stet, nō sedeat, nō moueat, aut
ambulet localiter. Ostendi. n. supra, loci nomen posse
esse translatiū, ut propriè quidē significet superficiem
corporis cōtinentis, circūscribentē uidelicet corpus cō
tentū, certis ac finitis limitibus, trāsferri aut queat ad re
ceptacula rerū spiritualiū, quē etsi nō sunt in loco p̄priē
dicto: Non enim continent corpora quadā superficie,
tamen quia cū loquimur de rebus spiritualibus & cœle
stibus, desint nobis apta & congruentia uocabula, mu
tuāda sunt à rebus corporalibus, ideoq; cū dicimus illas
esse in suo loco, non intelligimus eas esse in loco, locali
modo, hoc est, nō cōtineri superficie corporis cōtinен
tis, sed uerè in rerū natura, suo aut & ipsis cōuenienti mo
do, quē nulla humana ratio cōprehēdere pōt, existere.

O² Sic

Sic Angeli, sic Deus ipse, sunt in loco, & non sunt in loco. In loco uidelicet, quia non sunt nihil, sed uerè existunt in rerum natura. Et tamen non sunt in loco, quia non circumscribuntur ulla continentis corporis superficie. Hæc cum non obscurè Bullingerus in meo libello exposuisset, tamen immane, quanta animi impotentia & aliás, cum Patrum autoritatem asserit, & hoc etiā loco, in me feratur. Hic ego portenta & monstra uerborum neco. Hic Asystata scribo. Hic nulla gratia recto alicubi fabulam de otibus & aluearibus. Et id genus alia, sed, ut à postremo incipiam, Si Bullingerus reprehendit meam dicendi phrasin, sciat, me quoq; elegant ora, & venustiora, quam ipsius sunt scripta, legisse, & agnosco ipse meam dicēdi ariditatem: ac siquidem alter utro carendum est, malo destituí dictionis uenustate, quam rerum ueritate. Si autem loquitur de ea gratia, quam apud Cinglianos his scriptis assequar, sciat, me quidem cupere, tantā apud ipsos gratiam intire, ut à me excitati errori ualedicerent. Si uero nolint, potiorem mihi rationem ueritatis, quam ullorum hominum esse habēdam. Deinde, quod statum rerum apud Deum & in futura cœlesti uita dixerim, unum esse perpetuum locum, immo nullum locum, admiratur Bullingerus portenta, & monstra uerborum, & Asystata, ac postulat explicationem. Admonet autem me, ne talem afferam, qualis solet de corporali præsentia Christi in coena à nostris recitari. Sed quia & Christus ipse hac loquendi forma usus est, Mea (inquiens) doctrina, non est mea, manifestum est, quod quam portentosam dicendi phrasin mihi imputat, eam imputet etiam Christo. Etnisi esset affectu carnis suæ cecatus, potuisset ipse in meo scripto, adeoq; in eo ipso loco, explicationem non obscuram uidere, uidelicet, statum rerum apud deum, & in futura cœlesti

cœlesti uita, posse quidem dici ~~na~~ lexus in locum, non autem esse locum spacijs circumscriptum, qui contineat peculiares & circumscriptas mansiunculas, & habitacula, sed esse tale quid, quod nec humana ratione cogitari, nec humana lingua dici queat. Hic ergo habuisses, Bullingere, explicationem, si potuisses oculos aperire. Status enim rerum cœlestium dicitur unus perpetuus locus, quia res spirituales & cœlestes non sunt nihil, sed in rerum natura uerè existunt. Nullus autem dicitur eorum locus uidelicet corporalis, quia tali loco nō circumscribuntur. Sic cum à nostris dicitur corpus Christi in cœna adesse & manducari corporaliter, & tamen non corporaliter, intelligitur alterum, de ueritate præsentie corporis, alterum de corporali sensu, ut sit sententia: Verum corpus Christi uerè præsens in cœna esse & manducari, non autem sensibiliter, aut exterioribus hominum sensibus perceptibiliter. Hæc si putas tu sese mutuo interimere, elleboro tibi opus erit. Sed hæc, nec est sola, nec prima calumnia, qua Cingliani nostram doctrinam de cœna Domini oppugnant. His enim artibus sicut maximè omnium ualent, ita suam fabulam peragere student. Postremò saepè mihi tam à Martyre, quam à Bullingero obtruditur, docta uetustas, & quidem aliquoties minaciter & atrociter: Mihi ne plus fidei adhibendum sit, quam eruditæ uetustati. Obijcitur & authoritas D. Philippi Melanthonis. Ac profectò amauit Philippum, dum adhuc in hoc seculo superstes esset, ex animo, & nunc, postquam in Christo filio Dei quiescit, memoria eius mihi admodum iucunda est, & ago Deo patri Domini nostri Iesu Christi gratias, quod per eū multa & magna beneficia in ecclesiam contulerit. Nec ignoro (quantum quidem homo hominis mentem cognoscere potest) quid iam ab initio reuelati Euangelij, usq;

O ; ad

ad extremam penè ætatem suam, de cœna DOMINI
senserit & scripserit, quamq[ue] uestrū Cinglianū dogma
ita detestatus sit, ut scriberet se malle mori, q[uod] hoc affir-
mare, quod uos affirmatis, corpus Christi nō posse, nisi
in uno loco esse. Quare, si priorē sententiā scripturæ cō-
sentaneam mutauit, & alius factus est ad extreum, q[uod]
uos contenditis, doleo de amici casu, ut q[uod] maximē, ex
animo. Deinde scimus Dominū Philippum, ut reliquis
uirtutibus, sic modestia excelluisse, & exēplo Augustini
sæpè contra aduersarios cōtendisse, nullius hominis au-
toritatē certitudinē scripturæ sacræ (que immota est ue-
ritatis regula) præferendam. Itaq[ue] quod in omnibus ille
sequendū esse existimauit, id nos etiā, in hoc tam arduo
negotio facientes, nullo modo, si adhuc uiueret, esset
repræhensurus. Illud autem uehementer miror, quod tam
odiose, mihi eruditæ (sicut log. solent) uetus statis autorit
atē obtrudant, & cum in hoc cōmuni loco de patrū au
toritate uersant, non cogitent, quid à me cōtra possit di
ci. Equidem uetus statē, qua debeo reuerētia ueneror, &
laborib[us] eius singulari animi gratitudine utor. Sed ni
hil dissimulo, si illi uetusisti, quantumvis docti & eruditii
Pati, adhuc in hoc seculo superstites essent, & mihi
Apostolicis dictis sic muniti, quemadmodū supra co
piose cōmemoraui, tanta insolentia, quanta Martyr &
Bullingerus, insultarent, nulla essem eis uerecundia ob
strictus, etiam si responderem, quid ad me uestra petu
lantia? quid uestra procacitas? Nunquid in uestra uer
ba sum iuratus? Nū in uel tro nomīne sum baptizatus?
An non audio sp̄iritum sanctum in Paulo, Precio empti
estis, nolite fieri serui hominum? Non ignoro, diuino
beneficio, quatenus ualeant ueterum scripta. Sed auto
ritate eorum nobis, præsertim tanta Apostolicorum testis
moniorum copia munitis, sic insultare, hoc demum nul
lus

lus uerē pius probare nec potest, nec debet. Sequantur
 igitur Matyr & Bullingerus eruditam uetusstatem, nos
 sequemur rudem uetusstatē, illa longē antiquiorem. Se-
 quantur doctos Philosophos, nos sequemur indoctos
 Apostolos. Sequantur eloquentes oratores, nos seque-
 mur balbutientes pescatores & aulorū textores. Etsi em̄
 veteres scriptores, nec omnes sentiunt, quod præclarí
 illi doctores, eos sentire faciant, nec reliqui ita sentiunt,
 sicut illi dicta eorum torquent, age tamen, singamus ue-
 rum esse, quod illi plenis ubiq̄ buccis, de sentētia uete-
 rum uociferant, quid faciamus? imō nullus nobis dubi-
 tādilocus relinquit, qd sit faciendū. Erudita uetusitas di-
 cit, ut illi iactant, corpus humanū nō posse ueritatē cor-
 poris seruare, nisi sit in loco localiter. Rudis uetusitas, il-
 la antiquior, dicit corpus humanū Christi euectū esse su-
 per omne nomen, qd uel in hoc, uel in futuro seculo no-
 minat. Ex q̄ manifestū est, q̄ & super omnē locū sit eue-
 ctū. Cui igit̄ accedemus? Erudita uetusitas collocat car-
 nem Christi, in certo & circūscripto loco cœli illius, qd
 postea uocatū est Empyreū, & quod habet, ut Cingliani
 interpretan̄, certas mansiones, & certa spaciā, in qbus
 Christus & sancti eius corporali modo eant, redeat, se-
 deant, & deambulēt. Rudis aut̄ uetusitas, q̄s Christus ip-
 se uocat, parulos, dat Christo omnē potestatē in cœlo
 & in terra, & effert carnē eius in summā sublimitatē, ac
 collocat eam non solum super omnes cœlos, uerumeti-
 am super omne nomen, quod uel in hoc, uel in futuro
 seculo, nominari potest, hoc est, super omnes cœlos nō
 solum uisibiles, uerumetiā inuisibiles, si modo creature
 nomē habuerint. Cui igit̄ uetusati, eruditæ ne an ru-
 di assentiemur? Sed qd plurib. opus? Bullingerus ipse
 me, si alicubi autoritate manifesti uerbi Dei, àsententia
 ueterum discessero, à temeritate liberat, Ut ultrō d'em
 (inquietus)

112 DE DIVINA MAIEST. CHRISTI.

Fol. 11. (inquiens) uera esse simpliciter, quæ proponit Bren-
tius, neminem ueterum haec de loco interpretari, an i-
deo nobis erit discedendum ab aperta Christi doctri-
na, de sedibus beatis ita perspicue tradita, ut non possit
dici uel singi dilucidius? Et mox: Quis prohibebit, quo
minus inhæream et ego mordicus interpretationi non
à me conficere, sed ipsiusmet Domini uerbis clarissimis,
ut cunque citra controuersiam constet neminem uete-
rum, uerba DOMINI sic fuisse interpretatum? Si haec
Bullingerus serio sentit, quid est quod & ipse, & Mar-
tyr collega eius, testimonia uetus statis mihi tam insolens
lenter obtrudunt? Sed quæso te, optime lector, consi-
dera hic mihi, quam apte, quam appositè Bullingerus
testimonij ueterum, ad stabilienda sua somnia utatur.
Recipit enim se testimonio duorum ueterum, eorumq;
non vulgarium, sed ex præcipuis singularium, & alterius
quidem è scriptoribus Græcis, alterius è Latinis pro-
baturum, quod in hoc dicto Christi, In domo Patris
mei multæ sunt mansiones, nomine mansionum signifi-
cetur certus locus in cœlo. Cyrillus in Ioannem, Apet-
tè modò consolatur (inquit) discipulos Dominus, in
mansionibus patris, in primogenitorum Ecclesia, cum
eo æternaliter uicturos affirmans. Multas enim man-
siones ait in domo patris esse, capacitatem cœli ostendens,
quæ tanta est, ut nulla egeat ad suscipiendos electos pre-
paratione. Hactenus Cyrillus. Subiungit autem Bullin-
gerus. Qui (inquiens) capacitatem cœli dicit, an non
is locum manifestè intelligit? Quid? Hoccine est testi-
monio uetus statis probare, nomine mansionum intelli-
gendum esse, quod in cœlo sint certa loca & habitacu-
la, in quibus Christus & electi eius physica motione e-
ant, redeant, sedeant, & deambulent? Hoc enim pro-
bandum in præsentia exigebatur, Cyrillus dicit, tantæ
esse

esse capacitatē cœli, ut nulla egeat ad suscipiēdos ele
ctos præparatione. An ergo is, qui dicit capacitatē
cœli, locum manifestē intelligit? Loquimur autē de loco
physico, in quo itiones & reditones fiant locali & cor-
porali modo. Quòd si dixero, mentem hominis, etiam
post hanc uitam, esse capacem diuinarum reuelationū,
aut Angelos esse capaces diuinę illustrationis, aut Deū
ipsum esse omnis sapientiæ & potentiaæ capacem, num
propterea necessariō sequis̄t, intelligendum esse locum
physicum, in quo fiant physicæ & locales deambulatio-
nes? Enī, sic probant Cingiani sua figura ē docta ue-
ritate. Nihilō aptius est, quod mox Bullingerus addit:
Certè sub finem (inquiens) capit̄ apertum locum ad-
ducit (Cyrillus) ex Apostolo ad Theſſalonicenses, per
hibentem residuos in ultimo iudicio, unā cum excitatis
ex mortuis, sursum in nubes rapiendos, in occursum
Domini in aëra, &c. ceu digito ostendens ubinam sit
cœlum de quo loquitur. Et iterum. Post illa Cyrilli uer-
ba, conformes erimus gloriæ ſuæ, conregnabimusq;
secum secundum scripturas, unaq; recumbemus cum eo
in regno cœlorum, modo quem ipſe ſcit: ſubiungit Bul-
lingerus, Ille, inquiens, quamvis modum quo unā cum
Christo recubunt sancti in regno cœlorum curiosius
aut ſcrutari, aut explicare non uult. Dicit enim, (modo,
quem ipſe ſcit) attamen locum nihilominus eſſe cœlū,
in quo recubituri ſint cum Christo sancti, manifestissi-
mè afferit. Audit enim Brentius repeti uerbum Apo-
ſtoli, rapiemur in nubibus obuiam Domino, in aëra:
Audit mansiones ostendi ſuperiores, ſuperiores, in qua,
non inferiores, & locum, en locum, eundem cum Chri-
ſto, audit operoſiore nihil opus eſſe comprobatione,
eum hæc perspicua, nimirum ab omnibus bene intelle-
cta & confessa ſit. Vbi ergo nunc eſt Brentij epinicium?

114 DE DIVINA MAIEST. CHRISTI.
&c. Amabo te, uidisti ne unquam homines Cinglani
magis temerarios? Primum, si Cyrius non vult curio-
sus scrutari aut explicare modum, quo sancti cum Chri-
sto in regno cœlorum recumbunt, quæ est ergo uestra
illa audacia, quod nobis modum describatis, uidelicet,
corpus Christi esse in cœlo, non illo firmamento, in quo
sunt stellæ, sed in eo cœlo, quod uocant Empyreum. Et
in eo cœlo sic esse, ut non possit sua substantia esse in
cœna. Similiter esse in eo cœlo, physica locatione, (an
non est hoc modum describere?) in quo localiter eat, re-
deat, stet, sedeat, & deambulet? Deinde an non hic est
magnus stupor, quod ubiunque uel sacra scriptura, uel
ueteres scriptores utunq; uocabulo loci & mansionum,
in rebus cœlestibus, ibi statim exultes, & triumphum
agias, atq; definias, esse in regno cœlesti physica loca,
physicas locationes, physicas sessiones, physicas statio-
nes, & physicas deambulationes? Hæc enim est uestra
sententia, hæc docetis, & obtruditis nobis in uestris dia-
logis, & alijs libellis. Nos uero, ut suprà dixi, agnoscim-
us quidem uerba sacre scripturæ, & testimonia, in suo
quæque loco, uetus tatis, non agnoscimus autem uestras
sequelas, ac depravationes. Num quia Christus dicit,
Vado ad parandum uobis locum, Et in domo patris mei
multæ sunt mansiones, & Ecclesiastici repetunt hæc di-
cta, idcirco in cœlesti regno sunt loca physica, & mäsio-
nes physicae, in quibus, & è quibus beatí de loco phy-
sico, in locum physicum, successione physica mouean-
tur? Num quia Paulus dicit, Rapiemur in nubibus ob-
uiam Domino in aëra, idcirco sancti erunt physicaloca-
tione in cœlo Empyreo, in quo localiter stent, sedeant,
aut obambulent? certè, si surgeas τὸ ἄστρον Pauli, sicut
urgetur nomen loci, & mansionum, sancti non erunt
in cœlo uestro Empyreo, sed in nubibus, & in aëre.

Dicit

Dicit enim Paulus, Rapiemur obuiam Domino, in quē locum? Non ait, in cœlum Empyreum, sed in nubibus, in aëra. Et addit, Sic semper erimus cum Domino. Quomodo sic? In nubibus uidelicet, & in aere. An non hæc esset bella interpretatio, & iucundum phantasma? Nihilo sanius ex his Pauli uerbis argumentantur sanctos fore cum Christo in cœlo Empyreo, physica locatione, & locali cohabitatione ac deambulatiōe. Non dissimilia dici possunt de testimonio Augustini, qui cum & ipse recitet illud Christi, In domo patris mei man siones multæ sunt. Et illud Psalmi, Beati qui habitant in domo tua, &c. Addit Bullingerus, Quid pro assertione mea, & contra Brentij sententiam potuisset uel singi appositum magis? Sic ergo refutatus est Brentius. Dicite io pæan, & io bis dicite pæan. Incidit in casses præda petita meos. Sed quis esset huius scripti modus, si omnes id genus ineptias, imò sacræ scripturæ, & veterum scriptorum detorsiones persequi uellem? Reuer temur ergo eō, unde sumus digressi. Contendunt corpus humanum non posse, salua sua substantia, ne quidem diuina potentia, esse, nisi in loco localiter, ac nec in pluribus, nec in omnibus locis simul. Ac uideri uolunt omnia patrum ac scriptorum genera à parte sua sta re. Sunt autem duo patrum genera, quod quidem ad præsens institutū sufficit. Alij enim sunt minorū, quos uocamus scholasticos: alij maiorū gentiū, quos uocare solemus Ecclesiasticos. Non est aut̄ obscurū, quæ fuerit scholasticorū sententia de cœna Domini, & de cōditi one corporis Christi in pane. Etsi n. somniarunt, quod in cœna fiat panis transubstantiatio, tamen non fuerunt omnino sine ullo uel ingenio, uel studio. Certè in cognoscendis humanæ philosophiæ mysterijs, & in scrutāda rerum natura maiorem operam collocarunt,

116 DE DIVINA MAIEST. CHRISTI.
quam uel ipsis uel Ecclesiae filij Dei, quam suis temporebus docuerunt utile ac salutare fuit, propterea quod philosophiam cum Theologia pernitiosè commiscuerint. Et tamen sunt suæ professionis artifices, ac diligenter spenderunt, ne quid affirmarent, quod contradictionem, ut ipsi loquuntur, implicaret. Manifestum igitur est, quod senserint corpus Christi uerè & substantia liter præsens esse in cœna, id est non localiter. Senserint etiam unum & idem corpus Christi, cum cœna celebretur, esse eodem tempore in diuersis locis. Quanquam autem communiter docent corpus Christi non esse in diuersis locis localiter, tamen sunt alii, qui affirmant, quod nec illud includat contradictionem, cum assertur, id est corpus posse esse in diuersis locis localiter. Non est mirū (inquit Hugo) si mirabilis mirabilia operatur. Quomodo (inquires) corpus unum potest eodem tempore in diuersis locis esse? Noli mirari. Qui locum fecit, & locum in corpore, & corpus in loco, & qui fecit, ut corpus unum in uno loco esset, fecit, sicut uoluit, & si uoluisset aliter facere, potuisset. Nam & quando uult, aliter facit. Et postea. Cogita facientem, & desinet esse mirabile, quicquid illud fuerit, & si forte esse mirabile non desierit, tamen incredibile non erit, si factor omnipotens cogitatur, &c. Hoc autem sumptum uidetur ex Augustino, cuius illud de miraculis dictū extat: Tot a ratio facti, est potētia facientis. Et alius, Esse (inquit) in uno loco tantum per finitam potentiam cōuenit corpori eo ipso, quod limitatum est. Vnde sicut non potest non esse limitatum, ita nō potest simul esse in pluribus locis per uirtutem finitam. Sed ex hoc non sequitur, quin hoc possit fieri per potentiam infinitam. Ac iterum: Vnum totum, non potest simul esse in diuersis locis, per uirtutem uidelicet creatam, &c. Tu quidem Cingliane, fatidis

stidis horum authoritatem, quam nec ego magni admodum facio. Sed cum de rerum natura, quid uiribus naturæ, quid omnipotentia Dei, absq; naturæ destructione fieri possit, queritur, & illi uno ferè ore affirmant, corpus humanum non posse quidem in diversis esse locis eodem tempore, potentia naturæ, posse autem esse, potentia Dei, cui, obsecro, æquum censes, ut fidem adhibeamus? Num illis, in sua professione artificibus, & omnipotentiam Dei digna laude celebrantibus, an tibi heri nato, & temerè quod in buccam uenit uel affirmanti uel neganti, ac omnipotentiam Dei uellicant? Dices autem: Etsi scholastici docuerunt corpus Christi esse in pluribus locis eodem tempore, tamen non concedunt esse ubiq;. In scripto de personali unione duarū naturarum in Christo, ingenuè affirmauit, ne me quidem probare hanc locutionem. Humanitas Christi est ubiq;, si per uocabulum ubiq; intelligatur localis, crassa, mun Dana & Geometrica in omnia loca extensio. Si autem ubiq; dicitur de Deo, aut de filio Dei, qui filium hominis in eandem & inseparabilem personam assumpsit, ac significat coelestem & humanæ rationi incomprehensibilem modum, quo Christus omnia implet, certè non desunt nobis testimonia scholasticorū, quorum etiam aliquot recitaui, quibus nunc & illud Bonaventuræ addo, qui ait: Quod obijcit per unionem homo est Deus, dicendum, quod hoc intelligatur per communicationem Idiomatum. Similiter &, Esse ubiq;, conuenit per communicationem Idiomatum. Sed quia Martyr scribit in horum dicta, pro suo more, commentarios, & conatur eos, quoquo modo potest, etiam inuitos in sua castra pertrahere, idcirco non libet nobis de ipsorum sententia rixari. Sufficit nobis, quod Apostolica dicta, que suprà recitauiimus à nostra parte tam perspicue stent, ut

118 DE DIVINA MAIEST. CHRISTI.

Angelus de cœlo aliud nobis obtruderet, pro anathemate habendū iudicāremus. In præsentia aut̄ illud mani festum est, quod scholastici sentiant, corpus Christi esse eodem tēpore in plurib. locis, adeoq; omnib. ijs, in quib. cœna peragis, & tamē substantiā uerī corporis nō amittit. Hoc si obtinuerimus, ut planè cōstat, nō difficile erit, corpus Christi ad omnia loca, sed cœlesti modo, deferre. Non n. obscurum est, q; in die Paschæ crebrior sit Dominicæ cœnæ usus, in toto orbe Christiano, & in singulariis ecclesijs, iam inde à patribus, nō tantū minorum, uerum etiā maiorū gentiū. Et quia usus obtinuit, ut dies festus Paschæ à tēporibus Nicæni concilij sit in uniuersa Ecclesia uno eodemq; tēpore celebratus, facile concipi p̄t, corpus Christi non in uno tantū & altero loco, non apud unū tantū & alterum hominē, sed in multis locorum, in quib. cœna peracta est, myriadibus, & apud multas hominū, qui cœnā sumplerunt, myriadas, uerē præstō adfuisse, & uescentibus dispensatū esse. Si aut̄ potuit, & adhuc potest, iuxta scholasticorū sententiam, in locis & hominib. innumeris esse, quæ ratio prohiberet, quo minus etiā in omnib. alijs locis uerē adesse, & tamē ueram suā substantiā retinere posset. In cōpendio enim Theologico, in quo doctrina scholasticorū breuiter cōmemorat̄, recitat author rationem, (quod etiā in priori scripto indicauimus) cur corpus Christi sit in pluribus locis totū, sub diuersis, ut ipse loquit̄, hostijs. Hoc (inquit) est ppter unionem carnis ad uerbū. Rideant sanguine hoc Cinglianī, & fastidiāt. Nos uero in præsentia nō hoc agimus, quāta sint autoritate scholastici scriptores in Ecclesia, & quo loco habenda sit doctrina eorū: sed illud agimus, quid de præsentia corporis Christi in cœna senserint, & quam sententię suę rationem sint secuti. Dixerunt aut̄, Corpus Christi totū esse in plurib. locis, sub

*De perso-
nalunione
duerum na-
turarum in
Christo.*

sub diuersis hostijs, ppter unionē carnis ad uerbum. Et addunt, Vnde meritō habet (corpus Christi) amplius, quām alia creatura, quōd in locis plurib. simul & semel possit esse. Hinc ergo manifestum est, primū, quōd scholastici aperte pugnant cum Cinglianorum phantasmate, quo dicunt, ne Deum quidem ipsum posse effice re, ut corpus humanum, salua substantia eius, sit eodem tempore in pluribus locis. Deinde, quōd etsi scholastici affirmant corpus Christi non esse ubiqꝫ, tamen eam re citant causam, propter quam sit in pluribus locis: ut si expendas eam diligenter, necessariō sequatur, corpus Christi esse ubiqꝫ, non quidem, ut in omnibus locis, & panibus dispenſetur, sed ut ubique uerē (cœlesti tamen modo) existat. Propter unionem, inquiunt, carnis ad uerbum. Cum igitur hæc unio sit inseparabilis, & ubi cunqꝫ est uerbum, ibi etiam secum habeat assumptam carnem, (quia uerbum caro factū est) nullus sana mente præditus negare potest, quin caro Christi sit, (eo qui dem modo cuius hactenus sæpenumero facta est mentio) propter personalem unionem ubiqꝫ. Et possem quidem causam recensere, cur scholastici abhorruerint ab hoc sermone, Corpus Christi est ubiqꝫ, quē nec nos sic nudē, & sine ulla pia, iuxta sententiam huius Articuli, (Sedet ad dextram Dei patris omnipotētis,) interpretatione prolatum, approbamus: quid autem operaē precium fuerit, cum sententiam ipsorum, eō tantum produxerimus, ut ostenderemus, quōd etsi fuerint in Aristotelica schola diligenter uersati, tamē cū senserint corpus Christi esse in pluribus locis, nō ademerūt, nec corpori Christi uerā suā, in his locis, substantiā, nec Domino Deo nostro suā omnipotentiā, quod Cinglani, utrūqꝫ necessariō fieri cēsent, si humanū corpus statuat eodē tempore in plurib. esse locis. Sed cōsideremus etiā patres

patres maiorum gentium. Gloriantur enim Cinglianii
hos totos ab ipsorum partibus, stare, & cum nos nostros,
qui testimonia patrum de uera præsentia corporis Christi
in cœna collegerunt, in medium producimus, pro-
ducunt ipsis uicissim suos. Opus igitur est, ut in tota cau-
sa, ita & in hac parte eius, iudice. Ego quidem non du-
bito, quin uetus Ecclesia docuerit & crediderit ueram
præsentiam corporis & sanguinis Christi, in cœna: non
libet autem nunc, in hoc scripto certamen, qd à nostris re-
cte esse explicatū iudico, de hac re cum Cinglianis su-
scipere. Illud tantum postulo, si patres senserunt, q̄ cor-
pus Christi nō sit tantum substantialiter in cœlo, uerū etiā
in cœna, & in omnibus locis, in quibus cœna peragitur,
negari certe nō potest, quin & senserint, uerā substantialia
corporis manere inuiolata, etiā si fuerit eodē cōpore in
multis locis, & omnipotentiā Dei non esse tam impo-
tentē, quin possit sua uirtute efficere, ut humanum cor-
pus, in multis simul locis existens, seruet suam substan-
tiā incolument. Satis igit ad huius rei explicationem
erit, si cognoscamus, quod patres maiorū gentiū sense-
rint (ut certe senserunt, quicq̄d Cinglianī dicant) cor-
pus & sanguinē Christi uerē in cœna adesse, & ad uescē-
dum dispensari. At nō pp̄terea (inquiet) euicisti,
quod sentiant corpus Christi esse ubiq̄z. Recitaui quidē
aliquot Ambrosij, Hieronymi, & Augustini testimonia,
quæ Cinglianii pro suo more peruerunt, & in interpre-
tatione eorum, aperte faciūt ex Christo duas personas.
Sed sit sane ita, quod patres nō soleāt haec locutione uti,
ac alicubi nō obscure eā abūcere videant, certissimū ta-
mē est, q̄ cū agnoscūt hūc fidei nostrę articulū de Chri-
sto, (sedet ad dextrā Dei patris omnipotētis) & intelli-
gūt uerā eius sententiā, iuxta interpretationē Apostoli Pau-
li, quā suprā copiosē cōmemorauimus, manifestū sit, eos
totiſ

toties affirmare, Christū, nō diuinitate tantū, uerū etiam
humanitate sua omnia implere (eo uidelicet impletōis
modo, qui maiestati eius cōpetit) quoties recitant hunc
articulum de sessione Christi ad dextram Dei, & de po-
testate data Christo in cœlo & in terra, eumque exalta-
tum esse super omne nomen, quod nominatur non in
hoc tantum seculo, sed etiam in futuro. Quare, etiam si
uideantur in alijs quibusdam locis cum hac sententia
pugnare, & cogitationibus carnis, aut dogmati Aristoteli-
cī, de corporib⁹ & locis, indulgere, nihil dissimula-
mus, malumus sequi, quod iuxta Apostolica scripta sen-
tire debent, quam quod iuxta philosophica scripta senti-
unt. Multa enim scribuntur à Patribus, sed credere om-
nia, uide ne non sit necesse. Et nos in eo loco uersamur,
in quo maior ratio habenda est diuinæ ueritatis, quam
humanæ autoritatis. Quod si rerum aestimatio sumen-
da est ab annis, antiquiores Ecclesiæ Patres sunt Apo-
stoli, & in primis Paulus, q̄ Augustinus & suarum gen-
tium alijs. Sed accedamus uel tandem ad omnipotentia
Dei, quam Martyr dimetiendam scilicet suscepit. Reci-
tat enim ex Theodoreto non esse enunciandum indefi-
nitè, omnia Deo possibilia. Est & alijs Theodoreetus
multus in ore Cinglianorum. Ac ego quidem nihil de-
teram de laude eius, quam uel Leo, uel alijs ei tribuunt.
Et si quid uoce uel scriptis Ecclesiæ, suo tempore profu-
it, commendatione dignum iudico, sed non est ea auto-
ritate, ut quęuis dicta eius agnoscamus pro oraculis Spi-
ritus sancti. Omitto reliqua. An non hoc dictum: Non
esse enunciandum indefinite, Omnia Deo possibilia, ex-
cidit ei non tantum incogitanter & temerè, uerum eti-
am periculose, adderem etiam impiè, nisi ipse libenter
dicta maiorum commode & clementer interpretarer.

Q. Et

Et quia Martyri hoc Theodoreti dictum mirificè placet, idcirco haud iniuria particeps esse debet eius laudis, quam Theodoretus hoc suo dicto meretur. Quid enim uobis uultis? Dicatis, non esse indefinitè enunciandum, Omnia Deo possibilia. Peccauit ergo Archangelus, qui indefinitè & absolute dixit; Non erit immensibile apud Deum omne Verbum. Peccauit & Christus ipse, qui apud Matthæum & Marcum indefinitè ait, Apud Deum omnia sunt possibilia. Quid Ergo ne quia hoc absolute enunciarunt, omnia quæ bona sunt, & quæ contraria simul dixerunt? Ecce igitur uobis Theodoretum, & Martyrem nouos dicendi Magistros, qui & Archangelum & Christum ipsum sub ferulam trahant ac rectè & piè loqui doceant. Dein de affirmat Martyr, quædam esse, quæ suo defectu seu uitio, nullo modo fieri possunt, incolumi & salua nihilominus diuina potestate. Et haud obscure significat se etiam illud (corpus humanum, non posse esse sine loco, nec in pluribus locis, nec in omnibus locis simul, salua substantia eius) inter ea numerare, quæ ne Deus quis dem omnipotentia sua efficere queat, interim tamen lepidus homo uideri uult, se diuinæ potentiae nihil adi mere. Videamus ergo nonnulla eorum, quæ ne diuina quidem potentia possunt fieri, ut cognoscamus, num ad eum catalogum pertineat, quod de corporibus & locis dicitur. Quæ facta sunt (inquiunt) non possunt redi infecta. Et Hieronymus: Audenter, inquit, loquar, cum omnia possit Deus, suscitare non potest uirginem post ruinā. Item Deus nō potest mori. Nō potest peccare. Itē. Fieri non potest, ut pater sit filius, ut increatum sit creatū, ut infinitū sit finitū, ut triāgulus, sit quadrāgulus, ut ternarius sit quaternarius. Ac breuiter, Nullo modo, inquit

inquit, fieri possunt, quæ rei naturæ ac definitioni repugnant. Hinc concludit, cum corpus, inquiens, humanū
 oporteat ex natura & definitione sua finitum, circumscri-
 ptum, ac delineatum esse, fieri non potest, ut plura loca
 simul occupet, uel ut sit ubiqꝫ. Hæc est ænea illa & chaly-
 bea Cinglianorum machina, qua prima quidem fron-
 te, uera tantum prælentia corporis & sanguinis Christi
 in coena oppugnari uidetur, sed qua, si pressius intuea-
 ris, Christus filius Dei de Throno suæ maiestatis, quod
 in Cinglianis est, proturbatur. Negari quidem non po-
 test, quin nonnulla sint, quæ fieri non queant. Neque e-
 ním Deus potest cogi, uim pati, mori, & interire. Hoc
 autem posse, non est potentiæ, sed imbecillitatís. Si enim
 Deus hoc posset, non esset omnipotens, sed potius im-
 potens. Neqꝫ Deus eodē temporis puncto uult aliquid &
 nō uult, probat aliquid, & improbat. Hoc esset incôstan-
 tie, non potentiæ, adeoqꝫ quicqđ Deus nō potest uelle, nō
 pot etiā agere. Neqꝫ n. potest seipsum occidere, propte-
 rea quod nō possit quid accidere, ut id uelit. Sed illud in
 præsentia queritur, Num quod de humano corpore di-
 citur, Non posse uel sine loco, uel eodem temporis pun-
 cto in diuersis locis aut ubiqꝫ esse, ad hæc, quæ iam recen-
 suimus, genera pertineat? Multa. n. sunt, quæ una quidē
 ratione fieri non possunt, quæ tamen alia ratione non so-
 lum possunt fieri, uerum etiā re ipsa fiūt. Quæ facta sunt,
 infecta fieri nequeunt. Ettamen Magistratus inuenit ra-
 tionem, qua contumelia illata fiat tanqꝫ non illata, cum
 contumelia affectū suo restituīt honori. Deus ipse inuenit
 rationem, qua peccatum factum, sit, tanquam non
 factum. Misit enim filium suum, qui peccatum ita ex-
 piauit, ut iam pro non facto reputetur. Peccati eosum
 (inquit) nō memorabor amplius. Et quid? Num potest

Q 2 aliquid

aliquid uerè dici, coram Deo factum? Nihil minus. A/ pud Deum enim, ut nihil est futurum, ita nihil præteri/ tum, sed omnia sunt ei præsentia. Quid igitur coram eo, de facto & infecto disputas? Hieronymus, Audenter, in/ quit, loquar, cum omnia possit Deus, suscitare non po/ test uirginem post ruinam. Nunc autem non queritur, quid Hieronymus audenter, sed quid ueraciter loqua/ tur. Scribit enim et ipse aliâs, in Ecclesia quotidie fieri ex/ meretricibus uirgines. Nihil, non potest esse aliquid. A nihilo enim ad aliquid interminabile est seu spaci/ um, seu interuallum. Ettamen Deus tantæ est indu/ striæ & potentiae, ut inuenierit rationem, qua ex nihilo fieret aliquid, adeoq; tanta moles, quantam coram cer/ nimus. Mortale non potest esse immortale. Et tamen Apostolus dicit: Cùm mortale hoc induerit immortalitatem. Vita non potest mori, Vita, n. & mors, pugnant in/ ter se, ut quæ maximè, & tñ Ecclesia canit: Vita in ligno moritur. Deus nō potest esse homo. Quæ enim propor/ tio infiniti ad finitum? Ettamen inuenta est ratio, qua Deus esset homo. Vnum non potest esse tria, nec tria, unum, & tamen suus est modus in diuinitate inuentus, quo unum essent tria, & tria unū. Aristoteles ipse, è cuius fontibus Cingliani siam sapientiam ad oppugnandam maiestatem Christi hauriunt, recenset quatuor conditi/ ones elenchi, πατέρων αὐτῷ, καὶ πάσῃ τῷ αὐτῷ, πατέρων, πατέρων αὐτῷ χρόνῳ, quarum, si uel una defuerit, non est uera αὐτίφασις. Ac, ut maximè cōcedatur, quòd aliquo modo uerum sit, ea fieri non posse, quæ rei naturæ & de/ finitioni repugnant, interea tamen diuīnæ omnipotenc/ iæ, quæ omnem rerum naturam superat, nihil est a/ dimendum. Nec illud negauerim, ea quæ definitionem rei tollunt, tollere etiam definitum & rem ipsam. Hoc autem

autem intelligendum est, de essentiali (ut Scholæ loquitur) non de accidentalis definitione. Nam si senseris, rem continuo tolli, cum accidens seu inherens eius tollitur, obsecro te, quid non tantum in miraculis preter & contra naturam aeditis, verum etiam in ipsa rerum natura in columnæ ac in uiolatum reliquum erit? Descendamus igitur nunc ad conditionem humani corporis, ac praesertim eius corporis, quod a filio Dei in eadem personam est assumptum. Dicunt nullo modo, ne diuina quidem potentia fieri posse, ut humanum corpus sit uel sine loco, uel eodem tempore in pluribus aut omnibus locis. Nunquid autem locus ingreditur essentiale humani corporis definitionem? Nihil certè minus, quemadmodum & suprà attigimus, & artifices ipsi docuerunt. Quod ergo de humano corpore cum locis collato dicitur, non pertinet ad catalogum eorum, quæ nullo modo fieri possunt. Et quid? Num locus, a Deo creatus, tantarum esset uitium, ut posset creatori suo omnipotenti medium digitum ostendere & resistere, quo minus posset corpus uel absq; loco conseruare, uel in pluribus, atq; adeo omnibus locis, pro sua industria collocare? Nemo, credo, tam impudens est, qui neget Deum potuisse ante conditum mundum, ante conditum tempus & locum, creare uerum hominem, & eum in sua substantia conseruare. Quod igitur ante conditum mundum potuit, num a mundo condito amisit? Negari item non potest, quin Deus posset hunc uisibilem mundum annihilare. Quis ergo negaret, quod si hoc ficeret, non posset hominem mirabiliter absq; hoc mundo conseruare? Imò sunt etiā, qui sentiunt Deum posse facere aliquid corpus quantum (ut ipsi loquuntur) extra hunc mundum. Ac profectò inuenit sibi Deus ab æterno habitaculum, in quo, ut

ita dicam, consisteret, priusq; hic mundus conderetur,
&nō potuisset homini, priusq; locus fieret, habitaculum
inuenire, aut destructo loco, receptaculū excogitare? Ha
bet rationē, qua uniuersam corpoream molem huius
mundi conseruet absq; loco (extra enim superiorē mun
dani corporis superficiem, nec est physicum aliquid cor
pus, nec locus,) & non inueniret rationē, qua minutum
homini corporculum, posset uel absq; loco conserua
re, uel in pluribus, adeoq; omnibus locis collocare? Nā,
quod Martyr neget, Aristotelem, in uniuersam inficia
ri ultimum cœlum esse in loco, suo more facit, q̄to solet
tam ex Ecclesiasticis scriptoribus, quam ex philosopho
rum placitis, pro suo arbitrio seligere, quæ uel probet,
uel improbet. Nos autem in priori scripto ostendimus
ex Mose, quod Deus in creatione huius corporalis mū
di collocauerit firmamentū, inter aquas inferiores & su
periores, & quod hæ superiores aquæ, nō sint infinitum
spacium, in quo Deus ante conditum mundum sit com
moratus, & nunc angeli ac sancti cōmorentur, sed quia
sunt pars huius corporalis mundi, sunt & ipsæ, substan
tia corporea & finita, qua hic corporalis mundus claudi
tur & definitur. Quare extra has aquas, non est aliud cor
pus, cuius superficies contineat molem uniuersi, & ne
cessariō sequitur, quod hæ moles nullo loco uel ambiat
tur uel contineatur, sed sit in manu Dei omnipotentis,
qui metitur, iuxta Esaiam, aquas pugillo, & cœlos pal
mo ponderat, quique appendit tribus digitis molem
terræ, & librat in pondere montes, atque colles in sta
tera. Accedit huc, quod si duo corpora fuerint simul in
uno eodemque loco, necessarium erit, ut alterum eo
rum non sit in loco, ne physicis absurdissima fieri di
cantur. Manifestum autem est, quod cum Christus pe
netraret

nerraret in nativitate sua per clausum Virginis uterum,
 in resurrectione sua per saxum monumenti, in appa-
 ritione coram discipulis per clausam ianuam, duo cor-
 pora fuerint simul, in uno eodemque loco. Quare & il-
 lud manifestum est, quod corpus humanum possit esse
 sine loco. Negat quidem Martyr Christum penetrasse ^{Fol. 94:}
 per clausum Virginis uterum, per saxum monumen-
 ti, & per clausas ianuas, & affert suas, nescio quas, con-
 jecturas, & effugia, sed eo ipso negat autoritatem Au-
 gustini in hac causa, quem alias Cinglianis in hac causa
 habent pro gnomone: negat uulgatam & uetus tatis &
 nouitatis sententiam, negat etiam collegae sui Bullin, ^{In commen-}
 geri autoritatem, qui affirmat Christum per clausum ^{tario super}
 Virginis uterum exiisse. Quare non suscipiam cum eo ^{Lucas cap. 2.}
 hac de re certamen, donec ipsi & cum veterum, & cum
 suorum sententia conuenerit, præsertim cum & alia fir-
 ma habeamus nostræ sententiae fundamenta, quæ su-
 præ sunt recitata, & Martyr iterum exemplum sui inge-
 njæ dat, quo quæ in singulis autoribus sibi conuenien-
 tia uidentur excerpere, & ad suum phantasma torquere
 solet. Dicamus etiam de corpore in pluribus locis si-
 mul. Christus corpore suo commoratur in cœlo, eoq; iu-
 xta Cinglianos, empyreo, quod collocant supra firma-
 mentum stellis insignitum, & uocant Regionem fœ-
 licissimam, nec deseret eum locum usque ad nouissi-
 mum huius seculi diem. In cuius rei testimonium so-
 lent illud Petri ex Actis Apostolicis adducere: Oportet
 Iesum accipere cœlum, usque in tempora restitutionis o-
 mnium. Eadem autem Apostolica Acta testificantur ^{Act. 22:}
 Christum apparuisse Paulo in his terris, & dixisse: Ego
 sum I E S V S ille Nazarenus, quem tu perse-
 queris. Et iterum assistit Paulo nocte Hierosolymis, ^{Act. 23:}
 Bono

Bono (inquietus) animo esto Paule, Ut enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testifica-
ri. Tatum autem est locorum interuallum inter cœlum illud Empyreum & inter terram, quantum nulla huma-
na geometria metiri potest. Necesse igitur habent Cingliani ipsi fateri (si modo in sua sententia constiterint) quod corpus Christi fuerit uno eodemque tempore in diuersis locis. Ac dico quidem potest, quod quæ Paulus uidit ac audiuít, facta sint per uisionem, aut per Angelum nomine Christi, non potest autem uerè dici, quod Christus nō fuerit tunc Paulo in terris præsens . Ex his enim uisionibus probat Paulus ad Corinthios scribens, ueritatem (sicut suprà ostendimus) resurrectionis Christi. Quod genus probationis nō consisteret, si Paulus Christum non corā uerè uiuum uidisset. Et quid? An non ea est Dei seu cōditio seu industria, ut ex mille annis faciat corā se, unum tatum non dico, annū, sed diem, imò nec diē, sed horæ minutū, aut si quid eo est minutius. In con-
spectu em̄ Dei omnia tēpora sunt unum præsentissimum momētum . Quomodo igitur non posset ex mille locis unum coram se locum facere, ut etiam si humanum cor-
pus dicatur esse in mille locis, coram Deo tamen sit tan-
tum in uno loco, aut potius in nullo, ut Bullingerus ite-
rum habeat, quod calumnietur? Ac profectò mirandū esset, si Deus, qui non solū est simplicissimus, & ubique est, ibi totus est, uerum etiam potentissimus, non esset tantæ potentiae & industrie, ut non inuenire rationem, qua posset corporalem creaturam, salua substantia eius tam arcto uinculo sibi colligare, ut eam secum, ubique que esset, coniunctam haberet. Sed hæc res optimè se habet. Inuenit enim rationem, qua adiungeret sibi hominem tanta unione, ut efferret eum secum in summa sublimitatem,

sublimitatem, & collocaret eum super omnem principatum tam terrestrem, quam cœlestem, & super omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, uerum etiam in futuro. Hic iterum uociferabuntur Cingulani, coccysum. Sed his moribus produnt amarulentiam animi sui erga prædicationem maiestatis Christi, qua uident, (si modo uident) phantasmata sua ita explodi, ut etiam si aliquandiu potestate tenebrarum apud imperitos homines obtinere videantur, tamen necesse habent, uel tandem euangelizare. Quicquid enim concinetur de natura corporis, in multis aut omnibus locis, certe cum filius hominis esset super omnes creature, & coniungitur multo propinquius filio Dei, quam omnes coelestes & Angelici principatus, non potest aliud reliquum esse, quam quod ubique fuerit filius Dei, ibi secum habeat filium hominis, semel in unitatem personæ assumptum, & nunquam abiectum. Reclamet sane humani corporis natura, reclamet uniuersa schola philosophica, Spiritus sanctus tamen extollit filium hominis eum, ubique est filius Dei. At enim (inquit iterum) ueteres probauerunt spiritum sanctum esse uerum Deum, illo argumento, quod sit ubique. Quare, si dixeris hominem Christum esse ubique, facies ex creatura Deum. Quid? An homo Christus non est uerus Deus? Ego uero dixero hominem Christum esse ubique, non quod sit uerus homo, sed quod iste homo sit uerus Deus, quemadmodum haec loquendi forma supra est exposita. Veteres probauerunt etiam diuinitatem spiritus sancti, ex eo quod sit uiuificator. An propterea negandum est, quod & caro Christi sit uiuificatrix? Spiritus sanctus igit idcirco est uiuificator, quod sit Spiritus sanctus, & uerus ab æterno Deus. Caro autem Christi non est idcirco uiuificatrix, quod sit ca-

R ro,

ro, sed quod sit caro à filio Dei omnia uiuificante assumpta; sic & spiritus sanctus, idcirco omnia implet, quod sit spiritus sanctus, & uerus ab æterno Deus, Corpus autem Christi non idcirco omnia implet, quod sit corpus, sed quod sit corpus à filio Dei omnia implete assumptum. Atq[ue] de his hactenus. Exposui enim quāta potius perspicuitate, & Apostolicis testimonijis, in quātam maiestatem filius hominis à filio Dei in unitatem personæ a sumptus concenderit, & quām latè pateat sessio eius ad dextram Dei Patris omnipotentis, nec dubito, quin hac expositione, ueræ Ecclesiæ ita satisfactum sit, ut cognoscatur, non tantum Christum uerum Deum & uerum hominem omnia cœlesti modo implere, ideoque uerè quoq[ue] in coena sua præsentem esse, sed etiam insignem temeritatem Cinglianorum, qua clamoribus suis orbem implet, & iactant, nec diuinæ literas usq[ue], nec Ecclesiasticos nec Scholasticos scriptores docere, quod Christus sua humanitate omnia impleteat. Idem enim accidit Cinglianis, quod ihs, qui propter uisus debilitatem sibi conspicilia imponunt. His enim omnia, quæ uidet, eum colorem oculis offerunt, quem conspicilium, quo utuntur, habet. Si fuerit conspicilium rubeum, omnia apparent rubea, si uiride, omnia apparent uiridia. Ita Cingiani postq[ue] imposuerunt sibi conspicilium ab Aristotele mutatum: ἀπὸν σῶματι τόνων, omne corpus est in loco. Et iterum. ἀνάγκη δὲ αἱ πίνακις εχει τὰ τοῦ σῶμα φυσικά. Omne naturale corpus motionem habeat, necesse est: quicquid per illud intuentur, & ubi cuncti uel in sacris literis, uel in Patribus audierint aut legerint nomen corporis aut coeli, ibi somniant locum, eumque circumscrivptum, in quo eatur, stetur, & physica motione deambuletur. Ac instantum non possunt oculos mentis suæ aphanis-

phantasmatis Geometricorum spaciōrum alterare, ut etiam si habeamus clarissima Spiritus sancti testimonia, quod quae sunt spiritualis & futuri seculi, non queant humana ratione comprehendēti, tamen odiose exprobrare nobis solent, quod dicamus ea geri ineffabili, & incomprehensibili modo. Quare sinamus eos sua (sic) quidem ita omnino ipsis libet) insania frui. Nos autem, diuina clementia adiuti, pergamus in proposito, & dicamus etiam de cœlo, in quo Christus sedet ad dexteram Dei Patris sui, & ad quod omnes uerè p̄ij, toto mentis desiderio cogitant. Etsi enim ea sufficerent, que antea in expositione sessionis Christi ad dextram Dei Patris cōmemorauimus, tamen quia Cingliani somniant de cœlo mirifica, imò non mirifica, sed potius puerilia, ac placide humana, ne dicam Thalmudica ac Mahumetica, & malunt nouum & ficticium cœlum, in quo Christum cum corpore suo collocent, architectari, quam uerā presentiam corporis & sanguinis Christi in coena agnoscer, & admoniti, tantum abest ut à phantasmate suo resipiscant, ut non sine summa Dei & hominum contumelia defendere conentur, idcirco operè precium uidetur, rationem cœli, quod habitaculum Dei dicitur, paulò copiosius, quantum quidem ad præsens institutum sufficit, iuxta Prophetica & Apostolica scripta explicare. Ut autem pius lector cognoscat, quid hac in re probandum, quid refutandum suscipiamus, recitabimus primum oīm quale cœlū Cingliani nobis obtrudat. Cœlum (inqunt) est LOCVS certus, nō in hisce terris, sed distinctus a terris, ac longissimè ab eis remotus, distinctus etiā ab ipsis cœlis aspectabilib. & inferiorib. nō ubiqz, sed cōstitutus supra nubes, & supra mundum hunc corruptibile, imò supra oēs cœlos, in excelsis, domus patris, habitatio se-

Martyr, fol. desc̄ Christi ac electorum eius beata, diuina ēterna, immensā, splēdida, spiritualis, corporea, habens spacia eaque latissima, in quibus localiter itur, sedetur, staet, & ambuletur, atque haud scio, num etiam ibi iaceatur. Hoc enim non inuenio additum. Habes Cinglianī cœli definitio
 56. 59. 73. nem aut si maius, architectationem. Nihil finxi. Verba
 74. 80. 83. ipsa hæc ē scriptis eorum collegi, ut haberemus integrā Cinglianī cœli structuram. Belligerādum igitur erit nobis, non cum uero cœlo, in quo Christus sedet ad dexterā Dei Patris sui, & ad quod omnes p̄ij aspirāt, sed cum cœlo Cinglano, in quo certis spacijs & locis sedetur, statur, & deambulatur. Quas igitur machinas admouebimus, ut id demoliamur? Non certe opus est, ut oculos diu cirkūferamus, & eas sollicitè inquiramus. Aedificatū enim est, non super petram cœlestis ueritatis, sed super arenā terrenæ imaginationis. Ac initio nō erimus nos, qui dimicabimus, sed tantummodo confidenter stabimus, & uidebimus auxilium DOMINI super nos, ac erimus ociosi spectatores. Omne regnū (inquit Christus) in se diuisum, desolabitur. Sicut ergo quondam cum Iosaphat rex Iudæ egredieretur contra exercitum Moabitum, & Ammonitarum, DOMINVS ipse tam mirabiliter adiuuit Regem Iosaphatū, ut ocioso ipso Rege spectatore, hostes eius, in semetipsos uerisi, mutuis conciderent uulneribus; ita & structura Cinglianī cœli, si eam secum ipsa cōmittamus, sua mole ruet. Dicunt enim, hoc suum cœlum esse certum locum, in quo stetur, sedeatur & ambuletur. Interim autem affirmāt, eum locum esse domum Dei Patris, spiritualem. Nūquid ergo Deus Pater stat, sedet, & ambulat in ea domo, localiter, quemadmodum homines & iumenta in terra, pisces in mari, & uolucres in aëre ambulare solent? Et cum sit domus spiritualis,

ritualis, nūquid est stationibus, sessionibus, & deambulationibus corporalibus apta & idonea? Et quia ibi cohabitare dicuntur homines & angeli, nūquid homines incedunt in ea pedibus, Angeli autem uolant aliis? Deinde, hoc cœlum non tantum dicitur esse sedes spiritualis, sed etiam corporalis. Quomodo igitur conuenit, quod simul sit & corporalis & spiritualis? nisi forte, quia corpus nostrum in resurrectiōe erit corpus spirituale, idcirco etiam cœlum illud Cinglianū erit & spirituale & corpore. Sed Paulus cum dicit, Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale, loquitur tantum de humano corpore, non item de corporeo aliquo cœlo. Et prius firmis rationibus probandum esset, num existeret in rerum natura tale cœleste corpus, quod constitutum esset supra mūdum hunc corruptibilem, & supra omnes cœlos in excelsis, & quod in sua spacia & loca distinctum, esset spirituale. Quod cum nondum sit probatum, immo potius cum scriptura sacra pugnet, quēadmodum aliās demonstratum est, & mox apertius demonstrabitur, in gens est Cinglianorū confidentia, quōd audeat figmentum tam male consutum in Ecclesiam inuehere, aut ab alijs excogitatum approbare & propugnare. Accedit & illud, quōd affirmēt hoc suum cœlum esse corporeū, & *Martyr* fol. tamen immensum. Quid? Est ne aliquod corpus immēsum? An non sentiunt, quod corpora exuant proprietas fol. 15. *Bulling*?

& incerta, cū à uerbo Dei discessum est. Valeat ergo Cinglianū cœlū, quod est ex Aristotele, apud quē omne corpus est in loco, extructū. Nos aut̄ petamus ex uerbo Dei, qd sit de cœlo sentiendū. Nō, n. dubiū est, qn Moses Spīritu sancto illustratus, describat in primo cap. Gene. creationē & conditionē huius externi & corporalis mundi. In principio (in quiens) creauit Deus cœlū & terram. Et cū Deus cœlū digereret, Fiat (dixit) firmamentū in me-
dio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Itaque fecit De-
us firmamentum, diuisitq; aquas, quæ erant sub firma-
mento, ab his quæ erant supra firmamentum. Ex his
manifestum est, quòd hic externus & corporalis mun-
dus constet diuabus præcipue partibus, cœlo uidelicet
& terra. Cœlum autem constet tribus partibus, Firma-
mento uidelicet, quod est stellis illustre, & aquis inferio-
ribus, ac superioribus. Et quia superiores aquæ, sunt &
ipsæ, substantia corporea, non sunt infinitum spacium,
sed finitum, quo hic corporalis mundus clauditur, & ut
ita dicam, circumscribitur. Ac ne quis cogitet in descri-
ptione corporalis mundi aliquid omissum, addit Mo-
ses, Perfecti sunt coeli & terra, & omnis ornatus seu ex-
ercitus eorum. Compleuitq; Deus die septimo opus su-
um, quod fecerat, & requieuit die septimo, &c. Nihil hic
agitur de spirituali mundo, quem futurum seculum uo-
camus, & de quo alia scripturæ testimonia extāt. In præ-
sentia aut̄ tractatur tantū de corporali mundo, quem una-
cum omni suo exercitu Deus sex dieb. ita perfecit, ut se-
ptimo die requiesceret. Hic corporalis mundus absolu-
tur, ut diximus, cœlo & terra. Cœlum autem absolvitur
firmamento, aquis inferioribus, & aquis superioribus.
Vbi ergo inueniemus cœlū illud Cinglianū? Omnino
enim reponūt ipsum inter genera corporū, & definitum
esse

esse corporeā sedem seu regionē. Nō inuenimus ipsum
in aquis, firmamēto inferioribus. Dicunt, n. locum eius
esse ultra hunc corruptibile mundum. Nec inuenimus *Martyr sol.*
ipsum in firmamēto, quippe q̄ negent, cōtra alior̄ sen/ 47.
tētiā, corpus Christi sideribus esse illatū, & illic cōmo-
rari. Nec inuenimus in aquis superioribus. Dicunt em̄,
q̄ constitutū sit non tantū supra corruptibile hunc mun-
dum, cuius pars sunt superiores aquæ, sed etiā supra oēs
cēlos in excēlis. Et tamē sentiunt esse corporale & suis
spacijs ac locis distinctū. Reliquū igitur est, quod aut ha-
beant aliū Deum, qui hoc ipsor̄ cœlū sit architectatus,
aut habeant alium corporalē mundum, in quo illud cœ-
lum sit collocatum. Manifestum. n. est, q̄ nec sit in hoc
corporali mundo constitutum, nec sit à Domīno Deo
nostro in cōditione huius corporalis mundi creatū. Hęc
vertigo dignū est suppliciū, q̄ affici merent̄ hi, q̄ malunt
ex Aristot. corpori Christi in altero seculo certū & cor-
poralē locū assignare, q̄ ex uerbo Christi uerā corporis
& sanguinis eius presentiā in coēna, & in hoc seculo cre-
dere. Quid ergo dicēdum: aut quid de cœlo sentiendū?
Certum em̄ est, q̄ sit Deus, q̄ sint angeli, q̄ Abrahā, Isa-
ac, & Iacob, & oēs p̄ij ex hac uita excedētes, corā Deo ui-
uant, q̄ Elías raptus sit ex hoc seculo, q̄ Christus resurre-
xerit à mortuis, quod ascēderit uersus hoc externum &
uisibile cœlū, quod multi cū ipso resurrexerint. Vbi er-
go sunt: ubi commoranſ? Nū cōcludes eos intra firma-
mentū aut intra hoc spaciū, quod est à superiorib. aquis,
usq̄ ad aquas inferiores. Hic iā de habitaculo Dei, ange-
lor̄, & beatoꝝ homī nō est cogitandū, iuxta Aristotelis
axiomata, sed iuxta Sp̄iritus sancti oracula. Dicamus igit̄
tur primum de habitaculo Dei. Nihil aut̄ in præsentia di-
cam de eo habitaculo, in quo Deus fuerit ante mūdam
conditum,

conditum, de quo suprà non nihil dictum est. Ante multum enim cōditum non habuit Deus aliud habitaculum quam seipsum. Quod nec hactenus deseruit, sed dicam de habitaculo eius in hoc mundo. Dubium autem non est, quin scriptura tribuat Deo, pro suo throno & habitaculo cœlum illud externū & corporale, quod nobis est ob oculos positum. Qui habitat, inquit Psalmus, in cœlis, irridebit eos. Et iterum: Deus in cœlo sedes eius, Aeternus: DOMINVS in cœlo parauit sedem suam. Et alias: Quicunq̄ orauerit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, de cœlis, & propiciare. Et apud Esaïam: Cœlum mihi sedes est, & terra scabellū pedum meorum. Ac alias: Nō iuretis per cœlum, quia thronus Dei est. Quid multis opus? Omnia scripta tam Prophetica, quam Apostolica collocant Deum in eo cœlo, tāquam in suo proprio habitaculo, quod paulo antè ex Mose descriptum est. Sed quid? Num Deus in huius cœli habitaculo ita includitur, ut nō etiam alibi uel habitet, uel commoretur? Nil minus, Ne enim tam carnales de habitatione Dei cogitationes suscipiamus, prohibent alia sacræ scripturaræ loca, quæ maiestatem throni eius exponunt. Excelsior (inquit Sophar apud Iobē) cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Longior terra mensura eius, & latior mari. Si autem tanta est maiestas Dei, quomodo continere cœlo tanquam habitaculo, latissimo quidem illo, si ad humanam Geometriam cōferas, angustiori uero, quam ut illam Dei immensitatem circumscriberet? Et Salomon: Si cœlum, inquit, & coeli celorum non te capiunt, quanto minus domus ista, quam ædificauis? Et in Psalmo: Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades, &c. Ac rursus in Esaïa: Deus ponderat cœlos palmo.

In Hieremias; Implet cœlum & terram. Quomodo igitur cœlum, talis esset sedes Dei, ut qui est simplicissimus, & ubi cunctus est, ibi totus est, non minus tam supra cœlum, quam in terra, & infra terram esset, & omnia coram simplicissima sua essentia, ac summa sua maiestate conservaret & gubernaret? Habes expositionem eorum locorum scripturarum, quae affirmant Deum habitare in cœlo. Si ergo Deus essentia, & Maiestate sua non minus ubique est, quam in externo illo & corporeo cœlo, quid est, quod peculiariter dicitur in eo cœlo habitare, & si quid in terris agendum, de cœlo descendere? Descendit (inquit Moses) DOMINVS, ut uideret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam. Et quid est, quod homines inuocaturi Deum uertunt oculos suos in cœlum potius quam in terram, cum Deus non minus impletat terram, quam cœlum? De hac re etiam in prioribus scriptis a me non nihil dictum est. Nec ignoro, quo contemptu & quisbus sannis Cinglianis hoc excipiunt, sed si eut hactenus non suscepimus professionem ueritatis propter Cinglianorum applausum, ita non abiiciemus eam propter ipsorum rhonchos. Dominus igitur Deus nostrus dicitur in cœlo magis, quam in terra habitare, non quod in rerum natura uerè existat tale cœlū, quale Cingiani somniant, quod sit corporeum supra omnes cœlos constitutum, & suis locis, ac locorum interuallis distinctum, in quo Christus localiter eat, sedeat, & deambulet, prout ipsi uisum fuerit. Nec idcirco uertunt homines oculos suos in inuocatione nominis Dei ad cœlum, quod Deus magis ibi habitet, quam in his terris. Nec etiam ob illam causam, quod cœlum sit maioribus miraculis, quam ullum aliud corpus a Deo illustratum. Nam si principaliter propter hanc causam uerten-

S di

di essent oculi in invocatione ad cœlum , multo magis uertendi essent ad hominem quemvis obuium , quippe quòd homo conditus sit ad imaginem & similitudinem Dei , ideoq; multo sit illustrius habitaculum Dei , quam cœlum . Sed hoc fit humano quodam & paedagogico more , & ad designandum discrimen inter thronos regum & Monarcharum huius terræ , & inter thronum DOMINI Dei nostri . Sicut enim illis tribuitur inter suos subditos altior sedes , ut omnibus suis sint conspici & uenerabiles , ita cum inter corporea loca , non sit in humanis oculis altior cœlo , collocamus eō Deum , & uertimus eō oculos , ut significemus nos non regem quēdam terrenum , sed regem cœlestem , regem regum , Dominum dominantium , colere atq; iuocare . Extant & alia , si oculos rectè circumtulerimus , habitacula Dei . Ecce enim tibi Patriarcham Iacobum . Hic , cùm uideret scalam stātem super terram , & cacumen eius tangens cœlum , ac audiret Dominum promittente sibi , q; in semine suo (qui est Christus) benedicēt eis omnes gentes , exclamat , Verè Dominus est in loco isto . Et , Nō est hic aliud , nisi domus Dei , & porta coeli . Habitaculū igitur Dei est , ubi Deus patefacit uerbum suum . De Zione quoq; dicitur ; Elegit Dominus Zion , elegit eam in habitationem sibi . Erat autem in Zion templum diuino mandato excitatum , & erat ibi arca propiciatorij , erant etiam ibi sacra diuinitus instituta , & deoq; prædicabatur ibi non decalogus tantum , uerum etiam promissio de uenturo Messia , Christo Domino nostro . Rectè igitur dicitur habitaculum Dei . Sed nondum est horum habitaculorum finis . De omnibus enim pijs dicit DOMINVS , Inhabitabo in illis , & inambulabo inter eos , & ero Deus illorum . Et Christus ipse ,

Si quis(ait)diligit me, sermonem meum seruabit, & Pa-
ter meus diligit eum, & ad eum ueniemus, & MAN-
SIO NEM apud eum faciemus. Quare, si essentiam &
omnipotentem maiestatem Dei consideraueris, habita-
culum eius est excelsius cœlo, profundius inferno, lon-
gius terra, & latius mari. Eatenus enim patet, quatenus
ipse sua essentia & maiestate. Si autem conferas thronos
regum terrenorum, cum throno Dei, rectè dixeris: Cœ-
lum cœli DOMINO, terram autem dedit filijs ho-
minum. Si rursum intuearis patefactionem uerbi Dei,
rectè dicitur Deus ibi habitare, ubi uerbum eius prædi-
catur. Si autem clemētiam & gratiam cœlestium bono-
rum ac æternæ fœlicitatis respexeris, singuli homines
pij, sunt singula habitacula, & singulæ mansiones Dei.
Ex quibus sequitur, quòd cum Deus dicitur in cœlo ha-
bitare, & uocabulum cœli generatim sumitur, unum
quodq; eorum habitaculorum Dei, quæ recitauimus, &
inter quæ non intenimus habitaculū à Cinglianis con-
fictum, cœlum dici queat.

Quid ergo est, quod Paulus ad Timot. scribat, Deum
habitare lucē inaccessam? An non hæc lux inaccessa est
coelū illud corporeum, in quo Christus sedet, aut ambu-
lat? Ostendimus suprà, q; cœlum illud Cinglianum nul-
lī habeat spiritus sancti testimonii, sed sit ex Aristotelis
axiomatis extractū, aut potius cōfictū. Quomodo ergo
posset esse lux illa inaccessa, nisi forte sentiamus idcirco
dīcī lucē inaccessam, q; nec Deus nec homines eō unq;
accesserint, aut uiderint, quippe q; in rebus natura nō exi-
stat, nec unq; extiterit. Sed Paulus per lucē inaccessam lo-
gē aliud intelligit. Quod. n. ad Timotheū uocat lucem
inaccessam, hoc ad Romanos uocat profunditatē iudi-
ciorē, & uiarē Dei, exclamās, O profunditatē diuitiarū,

& sapientie & cognitionis Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiae eius. Quis cognovit mentem Domini? aut quis illi fuit a consilijs? aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quoniam ex illo & per illum, & in illum omnia. Ipsi gloria in secula Amen. Habes quae sit lux illa inaccessa, quae certe ibi est, ubi cum que Deus est, siue in celo, siue in terra. Non potes enim ubi cuncti fueris, Deum nec uidere nec accedere, nec comprehendere, nisi quatenus se ipse patefecit, in hoc quidem seculo per conspicillum in enigmate, in futuro autem facie ad faciem, ut nunc quidem cognoscamus eum ex parte, tunc uero cognoscemus, sicuti & cogniti sumus. Hactenus de habitaculo Dei, quod & coeli nomine continetur. Et ex his manifestum est, quale sit scomma illud, quo Bullingerus, homo scilicet lepidus, vocet celum ubiquarium. Certe enim aut idem scomma in Deum ipsum redundat, ut vocetur Deus ubiquarius, aut Cingiani eum in scitiae deuenerunt, ut non sentiant, Deum esse ubique in regno suo coelesti. Sed de hac re postea. Nunc pergemus in proposito. Postquam enim diximus de habitaculo Dei, nunc etiam de habitaculo Angelorum dicendum erit. Deus, spiritus est increatus, Sunt & angelorum spiritus, sed creati. Nec in dignitate locis corporalibus, in quibus commorentur. Etsi enim & Deus & Angeli, cum se in hoc mundo, siue in celo siue in terra patefaciunt, in locis apparent, ipsis tamē sua essentia corporalibus locis non circumscribūtur. Vbi ergo sunt angelis? Et quod est angelorum habitaculum? Cum enim non sint nihil, aliquid siue necesse est. Non possumus autem eos in aliō habitaculo inuenire, preterquam apud Dominum Deum nostrum, qui cum, ubi cuncti est, in regno sit coelesti, necessario & ipsis siue in regno coelesti. Etsi enim aliquoties

aliquoties apparent externis formis in hac terra, tamen ut non deserunt Deum, ita nec deserunt regnum cœlestis. Apud Daniëlem: Millia millium ministrant Deo, & decies millies centena millia assistunt ei. In Epistola ad Hebræos: Omnes Angeli sunt administratorij Spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis. Nunquid ergo deserunt interea, dum seruiunt hominibus in terra, cœlum aut Deum? Nihil minus, Angelus enim, qui astabat Cornelio, etiam si non apparebat eodem tempore, & in ea dem forma Philippo, tamen non deseruerat interea suam apud Deum in cœlo stationem. Et qui ab altari Zachiariam alloquebatur, non aberat à sua sede, quam apud Deum habebat. Dicit enim Christus de paruulis. Angeli eorum in cœlis semper uident faciem Patris mei, qui est in cœlis. In Genesi sunt Angeli Dei obuiam Iacobo. Et dixit Iacob. Hæc sunt castra Dei. Num ergo hi Angeli iam primum de cœlo uenerant, & habitaculum suum deseruerant? Nihil minus. Manebant enim in cœlo, & iam antè aderant apud Iacobum, sed tum primum externa forma apparebant. Castramenta, (inquit Psalmus) Angelus DOMINI circum timentes ipsum, & eripit eos. Et Christus, Angeli eorum (inquit) in cœlis semper uident faciem Patris mei, qui est in cœlis. In Historia Regum Israeliticorum, uidit seruus Elizæi montem plenum equorum, & currum igneorum in circuitu Elizæi. Hic erat exercitus Angelorum. Nunquid iam primum de cœlo descendebant? Potuit quidem humano more dici, quod descendebant de cœlo, quia ante inuisibilis, nunc fiebant uisibilis, non autem deseruerant cœlum, nec antea abe-
runt ab Elizæo, Sed & simul erant in cœlo, & tueban-

Martyr
fol. 6.

tur Elizēum in terris, & manifestabant se in monte. An gelī enim eorum (inquit) in cœlis, semper uidēt faciem Patris mei, qui est in cœlis. Quare, et si Angeli apparent aliquoties in hac terra uisibili forma, tamen in uisibili sua substantia semper sunt in regno cœlesti, apud DOMINVM Deum nostrum, qui cum cœlum & terram impleat, semper suas secum habet angelorū tam in cœlo, quam in terra legiones. Sed ueniamus nunc ad Christum Dominum nostrum, & ad eos, qui ex hac uita in Christo excedunt. Quod ergo est habitaculum ad quod Christus se recepit? In cruce audimus ipsum clamātem, Pater, in manus tuas commendō Spiritum meum. Mortiens igitur depositit Spiritum suum apud Patrem suum. Nunquid ergo Pater longius aberat in cœlo illo Cinglano? Nihil minus. Nullum enim est tale cœlum. Et Pater etiū habitare dicitur in cœlo, tamen in propinquo erat, & excipiebat etiam Spiritum Christi in propinquō. Et paulo ante mortem suam dixit ad discipulos, Nunc uando ad eum qui misit me. Et mox: Vado ad Patrem, & posthac non uidetis me. Ac rursus: Pusillum & non uidetis me, & iterum pusillum, & uidebitis me, quia **VADO AD PATREM.** Et iterum: Exiui à Patre, & ueni in mundum, Iterum relinquo mundum, & uando ad Patrem. Et post resurrectionem: Ascēdo, inquit, ad Patrem meum, & Patrem uestrum, & Deum meum, & Deum uestrum. Nunquid ergo cùm uenit in hunc mundum, & factus est homo, deseruit Patrem, & non fuit apud Patrem. Dicit enim: Exiui à Patre, & ueni in mundum. Et nunquid, postquam resurrexit à mortuis, & uadit ad Patrem, nō est amplius in hoc mundo: quia dicit, Relinquo mundum, & uando ad Patrem: Ceterè, sicut Patrem nunquām deseruit, Dicit enim, Non creditis,

ditis, quia ego in Patre & Pater in me est: Et iterū: Non
 sum solus, quia Pater mecum est, Ita nunquam deseruit
 mundum. Ego enim, inquit, uobiscum sum omnibus
 diebus usq; ad consummationem seculi. Quid ergo est,
 Relinquo mundum, & uado ad Patrem? Nihil certè ali-
 ud est, quam quod cum in diebus carnis suæ exinaniu-
 set se forma Dei, & assumpsisset formam serui, nunc à re
 resurrectione recepit formā Dei, & ingressus est in maie-
 statem Patris. Hoc enim est uadere ad Patrem, in pater-
 num uidelicet thronum concendere, & suam maiesta-
 tem patefacere. Quod adhuc apertius exponitur per e-
 um Religionis nostræ articulum, quo dicitur Christus
 consedit ad dextram Dei Patris sui omnipotentis. Cu
 ergo queritur, quo post mortem & resurrectionem, &
 ascensum suum in cœlum peruererit Christus, hic re-
 spondet Cinglianus, ascendit super hunc mundum cor-
 ruptibilem in certum locum, & super omnes cœlos, in
 corpoream quidē sed latissimam regionem, in qua pro
 sua libertate interdum stet, interdum sedeat, interdum
 ambulet. Quod si non etiam uestatur, certè Mahume-
 tes Deum suum maiorī afficit honore, q; Cingiani Chri-
 stum. Ille enim ait Deum uestari ab octo Angelis, in
 sella gestaria. His autem Christus in cœlo suo, non ue-
 statur, sed necesse habet tantum stare, aut sedere, aut
 ambulare. Nisi enim fuerit iuxta ipsorum sententiam,
 in certo loco circumscriptus, non potest retinere
 proprietatem corporis sui. Et quia non dicitur es-
 se in loco localiter, mirantur ubi nam sit uerum cor-
 pus DOMINI, quod ita nullum uspiam locum habe-
 at. An ascendendo (inquit Bullingerū) in cœlum ita
 disparuerit, ut iam nullibi sit, commonstrariue possit? Fot. 9.
 Et hic putat me in ea præcipitia delatū, ut necesse habeā,
 corpus

corpus Christi aut loco circumscribere, aut fateri nullum
quam, ideoque non esse, ma uult que lepidus uir in hac
causa cum Augustino, quam cu[m] Brentio facere. Ac
per me quidem licebit Bullingeru[m] facere, qui cum li-
bet, & agnoscet ipse Augustinu[m] in Ecclesia filij Dei
magnum uirum: Sed quatenus se ipse uult agnoscere, &
usque ad aras, ut habet prouerbium.

Age igitur inspiciamus hoc dictum Augustini: Tol-
le corporibus spacia locorum, &c. quod toties à Cinglia-
nis iactatur, paulò accuratius. Etsi enim expendimus il-
lud in priori scripto, tamen quia omnino iudicant esse
facrosanctum, & præferunt dicto ipsi Christi in Cœna.
Hoc est corpus meum, &c. non grauabitur iterum de
eo, quæ ad rem uidebuntur, dicere. Primum enim, Au-
gustinus in ea Epistola, in qua hoc dictum extat, docet,
aliter esse in hoc mundo Deum, aliter corpus. Ac illum
quidem (quod sit Spiritus) non comprehendi aut tene-
ri locorum spacijs, hoc autem, nisi locorum spacijs con-
tineatur, non esse. Loquitur autem de corpore, quam
habeat naturam in hoc mundo, in hoc, inquam, corpo-
rali, non quam habeat in spirituali & cœlesti mundo. Si
enim consideraueris corpus, iuxta rationem eius natu-
ræ seu conditionis, quam habet in hoc externo mundo,
manifestum est, quod non sit nisi in loco. Si autem con-
sideraueris, iuxta eam conditionem, quam habet in cœ-
lesti mundo, docet Paulus, quod non sit animale, sed spi-
rituale & cœleste, quod ut nec cibo, ita nec loco indiget.
Quare si Augustinus māserit cum hoc suo dicto in scho-
la Philosophica huius externi & corporalis mundi, su-
um habet, eumque congruentem locum. Si autem Cin-
gianus quispiam transtulerit hoc dictum ē Philosophi-
ca in Theologicam scholam, & ē conditione huius se-
culi,

culi, ad conditionem alterius seu futuri seculi, iam non
est amplius Augustini, sed Cinglianii. Itaque eadem faci-
litate contemnitur, qua affirmatur. Deinde, et si Cingli-
ani negant Augustinum sentire, quod corpus & sanguis
Christi sint uere & substantialiter praesentia in coena, ta-
men nostri, e dictis ipsis Augustini, diuersum recte, meo
quidem iudicio, probarunt. Hoc accipite, inquit Au-
gustinus, in pane, quod pependit in cruce. Et hoc acci-
pite, in calice, quod effusum est de latere Christi. Eadem
igitur ratione probarunt, quod Augustinus sentiat, cor-
pus posse, salua sua substantia, constare, etiamsi non fue-
rit localiter in loco. Postremo, obseruatu dignum est,
quod alias scribit, Miraculum (inquiens) est, quod DO-
MINVS noster Iesus Christus, in carne uera intrauerit
ad Apostolos per ostia clausa. Dicis mihi: Si per ostia
clausa Christus intrauit, ubi est corporis pondus? RE-
CEDANT PAVLIS PER PONDVS ET MOLES.
Ille haec facit, cui NIHIL est impossibile. Si rationem à
me poscis, non erit mirabile. Cum audis miraculum, ser-
ua fidem, non requirat animus rationem, &c. Recedat,
(inquit) paulisper pondus & moles. Si Augustinus po-
test corpus absoluere à pondere & mole, potest certe i-
psum etiam à loco absoluere, quippe quod corpus non
sit, nisi propter suam quantitatem, in loco. Vides igitur
manifestè, quod ne ipse quidem Augustinus suum illud
dictum (Tolle corporibus spacia locorum, &c.) καθολι-
κῶς, uerum, & sacrosanctum iudicauerit, nec uelit, ut ad
filium hominis, quem filius Dei in unitatem personæ
assumpsit, in coelesti suo regno transfferatur. Et quia non
deducit ex eo absurdilla, quæ Cinglianii, tolerandum
uidetur. In Cinglianis autem intolerandū est, quod ex
eo non solum proturbant, quod in ipsis est, ueram pra-
sentiam corporis & sanguinis Christi ē coena, uerume-

T tiam

tiam Christum ipsum, è throno suæ maiestatis, quemadmodum suprà copiosè demonstrauimus. Si uero Cinglani omnino urserint, Augustinum, dictum illud suum (Tolle corporibus spacia locorum, &c.) intelligere etiam de corpore Christi, iuxta illud: Quādū Domīnus sursum est, in uno loco est, nec pati, ut hoc exponat, non de maiestate, sed de apparitione Christi, quæ solet in uno loco fieri, certe secum ipse pugnabit. Itaque nec nos nec Cinglianos iuuat, & necesse habebimus, sola scripturæ autoritate contenti esse. Cum ergo queritur: ubi nam Christus nunc cum corpore suo commoretur, non est respondendum more Cinglianorum, quod commoretur in certo loco, in regione supra omnes cœlos, circumscriptus, ubilocaliter aut stet aut sedeat, aut hinc inde ad fallendum fortassis tempus deambulet.

Non ignoro ueteribus quibusdam patrib. uisum fuisse, corpus Christi in altero illo, & cœlesti seculo, suis terminis circumscribere. Sed quæ essent in sanctis illis, & obseruatione in suo gradu dignissimis patribus honestè tegenda, & dissimulanda, aut saltē commodè, si fieri potest, interpretanda, ea Cingliani tanquam in summo pietatis fastigio collocanda ostentant, & obtрудunt. Et cùm aut paucis uerbis ad ea uenerabundi, absque expressa nominum recitatione, & contumelia respondemus, aut silentio tāquam responsione indigna, præterimus, interpretatur modestiam & silentiū, causæ diffidentiam & hastæ abiectionem. Agedum igitur, sumamus unum aliquem eorum patrum, quorum autoritatem Cinglani iactant, in manus, & expendamus ea severitate, quæ in iudicandis fidei dogmatiſ adhibenda est, scriptum aut dictum eius, quod ueritati ab adversarijs opponi solet, uisuri, quos triumphos reportet. Si quid paulo liberius, in eum dicitur, Cinglani non nobis,

bis, sed sibi imputent, quod insultatione sua ad hoc necessitatis nos adegerint. Ecce autem tibi Theodoretum, qui manifeste scribit, corpus Dominicum habere, quam prius habuit, circumscriptiōnē. Et faciemus alterum σύγχρονο eius, cum ipso hac de re colloquentem. Sit sane hic Cyrillus, qui & aliás non omnia Theodoreti, quemadmodum testantur Anathematismi eorum, probat. THEODORETUS. Corpus, inquit, Dominicum, surrexit quidem à corruptione, & interitu alienū, & impatibile, & immortale, & diuina gloria glorificatum, & à cœlestibus adoratum potestatisbus. Corpus tamen est, & habet, quam prius habuit, circumscriptiōnē.

CYRILLVS. Quæ quidem Theodorete commemos de corpore Dominicō, quod resurrexerit à corruptione & interitu alienum, & impatibile & immortale & diuina gloria glorificatum, & quod à cœlestibus potestatisbus adoratur, agnosco & laudo. Extant enim perspicue in sacris literis, & habent manifesta in scriptis propheticis & Apostolicis testimonia. Sed quod addis, corpus tamē est, & habet, quā prius habuit, circumscriptiōnē, partim ambiguē, partim, ut pace tua dixerim, falso dicitur. Ambiguum est, quod ais, corpus tamen est: falso autem, quod ais, habet circumscriptiōnē quam prius habuit. Fateor enim, quod substantia quidem sit corpus, non est autem amplius post resurrectionem & glorificationem, corpus animale, quod indigeat cibo, potu, locis & temporibus, sed est spirituale, sicut Paulus dicit, q̄ sit translatū in mundū spiritualem, & habet conditiones spiritus. Vt n. spiritualis ille & cœlestis & æternus mūdus, nō constat mundanis temporibus, præsternim preterito & futuro, sed oīa sunt in eo unū perpetuū instans, aut si qđ aliud uocabulū ex hoc mūndo ad ineffabilē illā existentiā transferri pōt, nec cōstat mūdanis locis, uidelicet superficiebus corporis continentis, sed oīa

DE DIVINĀ MAIEST. CHRISTI.
mnia sunt in Deo, & Deus est omnia in omnibus: ita
corpus spirituale, quale est corpus Christi post resurrec-
tionem translatum in mundum spiritualem, & ornatum
conditionibus spiritualibus, transcēdit omnia humana,
inter quæ certè sunt & tēpora & loca, ut nec præterito,
nec futuro definiatur, nec alto nec profundo loco con-
tineatur, sed continetur in Deo, qui nullo loco circum-
scribitur, & est, ut paulo antè ex Paulo dixi, omnia in
omnibus. Ac fieri quidem solet, ut Christus ē spiritualis
& cœlesti mundo sese in hoc corporali mundo patefac-
ens, appareat in uno loco, & uideatur circumscriptus. Si
autem cœlestem & diuinam maiestatem eius considera-
ueris, sedet ad dextram Dei patris sui, & tantum abest,
ut loco circumscribatur, ut cœlum, & cœli cœlorum, iu-
xta Salomonem, capere eum non queant. Quare Theo-
dorete, quod dicas corpus Christi in cœlesti uita, & glo-
ria habere circumscriptionem, quam prius habuit, ui-
deris miliū non diuinis, sed humanis rationibus, ac præ-
sertim illo Aristotelis axiomate, Omne corpus est in lo-
co, persuasus hoc affirmare. T H E O D. Non dixerim
ego humanis persuasus rationibus (. Neq; enim adeo
audax sum ac temerarius) quod scriptura silentio præ-
teriit, sed audiui Paulū clamantem: Statuit Deus diem,
in quo iudicaturus est terrarum orbem in iusticia, per
eum uirum, quem præfiniit, fidem præbens omnibus,
fuscitans ipsum à mortuis. Didici etiā à sanctis angelis,
quod ueniet eo modo, quo uiderunt ipsum Discipuli
euntem in cœlum. Viderunt autem naturam circumscri-
ptam, non eam, quæ circumscribi non potest. Audiui
etiam ipsum D O M I N U M dicentem, Videbitis filium
hominis, uenientem in nubibus cœli. Scio uero esse cir-
cumscriptum, quod uideſ ab hominibus. Videri enim
non potest natura, quæ circumscribi non potest. Domi-
num

num quoque iterum dicentem audiui: Cum uenerit filius hominis in gloria sua, tunc sedebit super sedem gloriae suae, &c. Porro autem & sedere in throno gloriae, & statuere quidem agnos a dextris, hodus uero a sinistris, id quod circumscriptum est significat. CYRILLVS. Hec cine, quæso te, diuinæ sunt rationes, quibus persuasus, serio existimas corpus Christi habere in cœlesti regno circumscriptionem, quam prius habuit? Evidem magni ipse facio, ut debedo, uerba sacræ scripturæ, quæ recitasti, sed ex his haudquam consequuntur, quæ instituisti. Expendamus igitur ea. Primum de tuo addis, cum dicis, scio esse circumscriptum, quod uidetur ab hominibus. Putas ne hoc generaliter citra ullam exceptionem esse uerum? Non negabis, crede, quin Deus Pater sit natura sua incircumspectus. Quomodo enim circum scriberetur, qui est excelsior cœlo, profundior inferno, longior terra, & latior mari? Ioannes autem in Epistola sua dicit: Videte, inquiens qualem charitatem dedit uobis PATER, ut filij Dei nominemur. Et mox: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum patefactum est id quod futuri sumus. Scimus autem, quod si patefactum fuerit, similes ei erimus. Quoniam VIDEBIMVS EVM (uidelicet Deum patrem) SIC VTESTR. Quare si, quod tu affirmas, circumscriptum est, quod uidetur ab hominibus, aut nos cum uidebimus Deum patrem, sicut est, non erimus homines, aut Deus pater erit circumspectus: utrumcunque affirmaueris, intelliges te in horribiles absurditates incurrere. Deinde expectaui, ut proferres dicta sacræ scripturæ, quibus testificareris, corpus Christi in regno & maiestate sua cœlesti, esse circumscriptum. Tu autem non protulisti nisi ea, quæ testificantur, quæ corpus Christi in hoc externo mundo apparere solet. Aliud est enim, Christum corpore suo esse in cœlesti &

æterna maiestate, à dextris Dei. Aliud est, eum pro ho-
 minum captu in hoc mundo apparere. Cū enim in hoc
 mundo uisibilis apparet, ibi ut apparet circumscriptus,
 ita demittit sese ad captū eorum, qui ipsum uident. Sic
 ascendit in monte Oliueti uisibilis & circumscriptus us-
 que ad nubes, sic redibit uisibilis & circumscriptus in iu-
 dicium, ut uideat eum omnis caro. Etsi aut̄ uidebitur &
 tunc in aliqua maiestate, sicut & in Galilæa apparuit tri-
 bus discipulis transfiguratus, in monte unā cum Mose
 & Elia, tamen ea maiestas nihil penē ad illam, qua est or-
 natus in cœlesti regno, ad dexteram Dei patris sui, &
 qua implet cœlum & terram, nisi forte pueriliter, imò
 Thalmudicē sentias uniuersam Dei maiestatem apparu-
 isse, & circumscriptam fuisse, cū Esaias uidit D O M I
 N V M sedentem super solium excelsum & eleuatū, & au-
 diuit Seraphim clamantes: sanctus, sanctus, sanctus D O
 M I N V S Deus Zebaoth, & cū Ezechiel uidit apertos
 cœlos & gloriam Dei iuxta fluum Chobar. Quare et-
 si, bone uir, recitasti uerba sacræ scripturæ, nondum ta-
 men probasti, corpus Christi in cœlesti sua maiestate,
 ad dextram Dei patris loco ita circumscriptum esse, ut
 nisi eo contineatur, non sit uerum corpus. Postremo,
 haud scio, num me rideas, aut de mea insulsitate pericu-
 lum facias, quod ad probādam circumscriptionem cor-
 poris Christi in cœlesti & æterna maiestate, commemo-
 raueris locū ex Matthæo de Throno gloriæ, in q̄ sessu-
 rus sit Christus, & iudicaturus orbem terræ, cum agni
 à dextris, hœdi uero à sinistris statuentur. Quæso te exi-
 stimas ne serio, spectaculum extremi iudicij tā crassum
 fore, quā sunt tribunalia & subsellia iudicū huius terræ,
 ad quæ ex una parte stant accusatores, ex altera rei? In
 qua, obsecro regione, in qua regionis parte collocabit
 hic thronus? Nū in ualle Iosaphat? Quid nō? Sic emendicit
 D O M I

D O M I N U S apud Prophetam. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in uallē Iosaphat, ac disceptabo eum eis, &c. At enim metuendū est, ne ea uallis angusti or sit, quām quā possit oēs gentes, quām unquā à cōdito mundo fuerunt, & adhuc, usq;ad nouissimū diem sunt futuræ, capere. Sed bene habet, nīsi planè ab omni cœlestium rerū sensu excideris, necesse habebis fateri, q; sicut Christus, cū ait ad Apostolos: Ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnū, ut edatis & bibatis super mēsam meā, in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel, ita etiā cum ait, agnos statuendos à dextris tribunalis sui, hoēdos aut à sinistris, mutuetur uocabula à terrenis sedibus & mensis, quibus utcunq; adumbret res cœlestes. Quare sicut furor esset, ex his uerbis extruere Christo in terris regiū tribunal, & strepitum ac seriem partium litigantium in modum forensiū iudiciorū, ita nō maior mētis sanitas est, ex ipsis nō colligere tantū, uerum etiā summa perueracia urgere circūscriptionem corporis Christi in cœlesti regno, ad dextrā Dei patris omnipotentis. Breuiter, bonā haberet Theodorete causam, si Aristoteles cū suo axiome, (omne corpus est in loco) esset Philosophus, non solū huius corporalis & externi, uerū etiā spiritualis & cœlestis mūdi. Nunc aut cū nullū habeat locū in cœlesti regno, haud immerito tibi, cū tua corporis circumscriptiōe, causa cadendū est. T H E O D. Sed habeo aliud testimoniū scripturæ, q; manifestē probat, corpus Christi, etiā ad dextrā patris sui esse circumscriptum. Audiui enim præclarū uictorem Stephanum dicentem: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantē à dextris Dei, uidit aut, eā, quę uideſ, naturā, nō quę sub aspectū nō cadit, etc. C Y R I L L U S. Iterum mihi non cōmemoras, nīsi exemplum apparitionis Christi in hoc seculo. Quid enim? Num quia Stephanus uidit semel in sua passione

passione cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei,
idcirco cœli sunt re ipsa diffissi, & Iesus semper in regno
cœlesti, & in æterna sua maiestate stat aut sedet localiter
ad dextram Dei: Videlicet etiam Ezechiel cœlos apertos,
& uidit animalia & rotas, uidit etiam speciem Christi,
quæ erat uisus similitudinis gloriae Dei. Num talis est
gloria Dei in regno & maiestate cœlesti: Nihil certe
minus. Qualisunque tantum adumbratio fuit, non plena
demonstratio uniuersæ maiestatis Dei. Sic & apparitio
Christi stantis ad dextram Dei, Stephano facta, non fuit
perfecta totius maiestatis Christi reuelatio, nec signifi-
cauit Iesum humano more ad corporalem Dei patris de-
xtram in cœlesti regno, & in summa sua maiestate loca-
liter stare, sed fuit uisus, quæ Stephano ad captum suum
eatenus patefacta est, quatenus ex ea in extremis suis
periculis, consolationem caperet. Deus enim Pater,
non habet dextram corpoream, nisi singas Deum ipsum
corporeum. Nec dextra eius est locus corporeus, sed
est summa & omnipotens maiestas eius, ad quam Christus
idcirco conseruasse dicitur, quod ad eam ita sit clausus,
ut eandem cum Deo patre omnipotentiam & ma-
iestatem possideat, quemadmodum alias copiosè de-
monstratum est. Quare cum apparet Stephano stans à
dextris Dei, non testificatur, se hoc semper habitu & for-
ma in cœlesti regno in summa sua maiestate, localiter &
circumscripsiæ uersari, sed testificatur Stephano, hac
qualicunque externa uisione (qua sic apparuit, ut huma-
na Stephani natura in hoc seculo ferre potuit) se conser-
uaturum ipsum in media morte, & iudicaturum suo tem-
pore aduersarios. Hic nunc Theodore uides, quam
ineptè, quam incongruenter testimonia scripturæ tuo
lōmnio de circumscriptione corporis Christi, in sum-
ma cœlestis regni maiestate, accommodaueris. Ac li-
benter

benter quidem fatemur tibi ignoscēdum esse, quōd fortassis nec tu ipse exactius perpēderis, nec alias quispiā, te de discrimine apparitionis Christi in hoc mundo, & summā maiestatis eius in coelesti regno admonuerit. Si autē post te exorituri sunt homines, qui freti tua autoritate cōtumeliose rixentur, corpus Christi in summa sua coelestis regni maiestate loco circumscribi, ac localiter hinc inde, in corporeo celo, qđ singant super hunc corporeum mundum, collocatum, aut stare, aut sedere, aut deambulare, ac ne admoniti quidem s̄pē numero, oculos aperiat, sed prefracte in pertinacia suā pergat, hi Christo iudici haud dubiè temeritatis suā rationem reddere cogentur. Hactenus colloctio Cyrilli cum Theodoreto. Quōd si ad hunc modum singula Patrum dicta, quæ Martyr & Bullingerus in suam opinionem detorquere conātur, expendenda suscepissem, quis fuisset huius scripti modus? Idem mihi dicendum est ad ea scripturæ loca, quæ Bullingerus, ad comptobādum fictitiū suum cœlum, recitat. Cūm enim ad ea paucis, ne & libelli modis excresceret, & lectori superuacanea prolixitate esset molestus, respondissem, ac haud obscurè significasset, me agnoscere quidem loca scripturæ, nō autem agnoscere uanas Bullingeri sequelas, nihilominus tamē ea acerbitate in me insurgit, ut facile agnoscas eum non præmeditatum, sed motibus illis animi perturbationibus incitatum hæc scriplisse. Quid ad me (inquiens) scho lasticæ illæ disputationes, cur non respondet ille (Brentius) ad loca scripturæ, & Patrū à me adducta? Cur ibi pī sce magis est mutus, in alijs nō necessarijs uerborum satiis prodigus? Scilicet illis scriptoribus non est responde re, si quis exposita & confirmata uera et pia eius cause, quam tractādam suscepit, sententia, paucis uerbis lectio

rem admoneat, quid de obiectis aduersariorum sit sentiendum. Et nisi singula uerba aduersariorum numeres, ac commentarium in ea scribas, audiendum erit; pise magis mutus es. Sed insultent illi & agant triumphos more suo quoslibet. Ego spero me, Deo propicio, causam ipsam ueræ Ecclesiæ Dei ita probasse, & iterum hoc scripto probaturum, ut non sit in me officium desideratura. Nam si singula fuisse copiose persecutus, uisus es sem iudicio prius, & prudentis lectoris diffidere. Malui igitur lectori multa, quasi digito indicare, quam molesta loquacitate, sine aliquo Ecclesiæ emolumento, ea, quæ ipsi nō ignota putabam, obtrudere. Sed ad institutum. Cùm quæritur, Vbi nam Christus nunc cum corpore suo commoretur? non est respondendum, quod continetur localiter in loco quodam circumscriptus, sed respondendum est, quod sit apud Patrem, in domo Patris, in Throno Patris, & ad dexteram Patris. Vbi autem est Pater? Vbi domus Patris? Vbi thronus Patris? Vbi dextra Patris? Num hæc sunt certis locis circumscripta? Num in regionem quandam supra omnes coelos latissimam quidem illam, sed terminis suis localiter definitam, ita sunt cōclusa, ut nec in his coelis, nec in his terris inueniantur? Nihil uero minus. Scripta enim Prophética & Apostolica nō intrudunt Deum Patrem in aliquam circumscriptam regionem, quamvis amplam, quamvis illustrem, quamvis à terris remotam. Sed dicit, Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illuc es; si descendero ad infernum, ades. Nec definiunt dominum Patris sicut definita fuit domus à Salomon ædificata. Sed dicit Salomon ipse, Coelum & coeli coelorum te capere non possunt, quanto minus dominus hæc, quam edificauis? Nec collocant thronum eius in

in aliquo certo lithostroto, sed tribuunt ei pro pavimento, in quo sit positus, cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Cœlū (inquit) mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Nec redigunt dexterā maiestatis eius in corporeum locum siue angustum siue augustum, sed extēdunt (ut ita nō exp̄as in nos loquar) eā tāta latitudine, & amplitudine, quanta est essentia eius. Putas ne Deus ego sum ē uicino, dicit Dñs, & nō Deus de longe. Si occultabis uir in absconditis, & ego non uidebo eum, dicit DOMINVS: Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit DOMINVS: Reliquum igitur est, quod Christus, isque totus uidelicet, non diuinitate tantum, uerum etiam humanitate sua commoretur tam in cœlo quam in terra, atq; adeo ubi cuncti est Pater ipse, & domus, Thronus, & dextera Patris. Et quia Christus ascendit in cœlum, & habitat in cœlo, uidetis ne omnes uerè pīj quam latè pateat cœlum illud, in quo Christus commorari dicitur? Quid enim ad me Augustini (quod tamen citra contumeliam tanti uiri dictum esse uolo) axioma, Tolle corporibus spacia locorum, &c. & Aristote lis, Omne corpus est in loco, quorum autoritate Cingiani ad suum phantasma, in rebus cœlestibus abutuntur. Habeo à mea parte Prophetas, habeo Apostolos, habeo Spiritum sanctum, qui collocant Christum DOMINUM nostrum, unum cum corpore, seu humanitate sua ad Deum Patrem, in domo Patris, in Throno Patris, & ad dexteram Patris. Non igitur timebo, quid faciat mihi homo, quid rideat, quid naso suspendat adunco, nec metuam (cur enim metuerem) ut homo physicis suis axiōmatis Christum Dominum nostrum, ē sede maiestatis suæ proturbet. Hactenus de habitaculo Christi in regno cœlesti. Nūc dicamus etiam de habitaculo Sanctorū, seu

piorum, qui in Christo ex hac uita excedunt. Ac de animalibus quidē seu spiritibus eorum nulla est, ut existimō, controversia. Iustorū animæ (inquit) in manu Dei sunt. Et Stephanus ait: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Non est inanis precatio. Quod Stephanus orauit, hoc & impetravit, ut Dominus Iesus spiritum eius suscepserit, & conseruet eum usq; ad resurrectionem, in qua Stephanus unā cum corpore æternam fœlicitatis gloriam consequetur. Dicit & Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Viuunt igitur & conseruantur Sanctorum spiritus, in manu Domini nostri Iesu Christi. Sed ubi nunc est Elías, qui igneo curru raptus est in cœlum? Vbi Moses, qui cum apparuerit unā cum Elia, apud Christum in transfiguratione eius, dubium non est, quin & ipse unā cū corpore suo in altero seculo uitam agat, persertim, cum etiam scriptura id significet. Non cognovit (inquietus) homo sepulchrum eius, usq; in præsentem dīem. Vbi Enoch, qui & ipse translatus est cum corpore in alterum seculum? Vbi hi qui cum Christo surrexerunt? Monumenta (inquit Matthæus) aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt. Et egressi de monumentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerūt multis. Vbi ergo, illi nunc agunt uitam? De hac re non tenet nos animi dubios Christus ipse. Postquā abiero (inquietus) & præparauero uobis locum, iterum ueniam, & accipiam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sis. Hic mox exclamabit Bullingerus, Ecce locum. Dicit enim Christus: Præparabo uobis LOCVM. Sed respondet Bullingerus sibi ipse. Nullus est (inquietus) locus mundanus & corruptibilis in celo. Quod ergo de corruptibili loco affirmat, manifestum est, in celo il-

lo perpetuae fœlicitatis, omnia esse æterna: sed quod ad-
ditur de loco mūdano, uertiginem patitur. Locus enim
mūdanus est, superficies corporis cōtinentis. Locus mū
danus est, in quo statuit, sedetur, & deambulatur cor-
poraliter & localiter. Talem autem locum collocat Bul-
lingerus, in suo illo Cinglianō coelo. Quid ergo tergi-
uersatur? Et cum affirmat non esse ibi locum corrupti-
bilem, quid plus dicit Aristotele, qui cum sentit mutu-
dum esse æternum, erit & ille locus æternus? Sed frua-
tur ille suis cū Aristotele locis. Suprà ostendimus, quòd
cum nobis loquendum est de rebus spiritualibus & cœ-
lestibus, mutuanda sunt uocabula, à rebus corporalibus
& terrenis, ut uel saltē aliquo modo de rebus à nostro
sensu & intellectu, in hoc seculo alienis, balbutiamus,
unde & Christus ipse, nobiscum balbutiens, dicit se para-
re nobis in futuro seculo Locum, non tamen intelligit
locum, qui sit superficies corporis continentis, in quo
uel ipse uel sancti corporali & locali modo eant, incedāt,
stent aut sedeāt; sed quem nec oculus uidit, nec auris au-
diuit, nec cor hominis cogitauit. Nunquid ergo corpo-
ra sanctorum non erunt, quòd nō contineantur à su-
perficie alterius corporis, nec corporali & locali modo
incedant? Certè erunt, idq; perpetuō. Vbi ergo erunt?
Apud Christum. Dicit enim: Assumā uos ad meipsum,
ut ubi ego sum, & uos sitis. Et Paulus: Rapiemur, inq;,
in nubibus, in occasum Domini, in aëra, & sic SEM-
PER ERIMVS CVM DOMINO. Vbi autem est
Christus? Apud Patrem. Erimus ergo & nos apud Pa-
trem. Vbi autem Pater? Num est superficie corporis cō-
tinētis circumscriptus? nihil minus. Sed ibi est, ubi nos
erimus. Cūm subiecta, inquit Paulus, fuerint Christo o-
mnia, tunc & ipse filius subiectus ei, qui subiecit omnia,

ut sit DEVS OMNIA IN OMNIBVS. Si Deus erit
in nobis OMNIA, erit ergo & locus noster, si modo a/
pud nos in hoc seculo mansio[n]em fecerit, & locus eius

Psal. 30. Ser. 3. in uersu.
Abscondes eos, &c.

fuerimus. Vilescat, inquit Augustinus, totū, quicquid
præter Deum est, qui nostueſt in loco uitę huius. IPSE
post uitam sit LOCVS NOSTER. Et iterum: Esto do-
mus eius, & erit domus tua. Habitet in te, & tu habita-
bis in eo. Si eū excepereſt in hoc seculo cordetuo, ille post
hoc seculū excipiet te, uultu ſuo. Huc q[uod]q[ue] facit, q[uod]d Atha-
nasiuſ ſcribit. Aufer mihi, inquiēſt, ſubnixum eſſe loco,
aufer mihi locales capacitates, cum de Deo cogitādum
eſt. Et mox: Impium eſt igitur, aut querere, ubi ſit Deus,
aut quē locū obtineat Verbū, aut quo domicilio clau-
daſt Sp[iritu]s sanctus &c. Si eſt impiuſ querere ubi ſit De-
us, aut quem locū obtineat, nō minus impiuſ eſt que-
rere, ubi nam locor[um] ſint, aut quae loca obtineant sancti,
qui ſunt apud Deum, & quoꝝ locus eſt Deus. Moses &
Elias apparent p[re]ſentes apud Christū, in transfigurati-
one. Ac tunc quidē apparuerūt in loco, & collocuti ſunt
cū Christo, humano ſermone. Dicebant, n. excessum ei-
ius quem completurū erat Ierosolymis. Etsi, n. appare-
bant aliqua maiestate prædicti, tñ & loco & ſermone ſic
ſeſe demittebant, ut potuerint à tribus diſcipulis & uisu
utcunq[ue], & auditu cōprehendi. Num aut̄ existimas eos,
ſi de uera & eterna ipſor[um] maiestate q[uod] habēt in regno ce-
leſti, dicēdū eſt, d[icit] ſeſſe tūc de cōelo, humano & locali
modo, & ſic ſemper in cōleſti regno uersari, ac loq[ue]rī, quē
admodū diſcipulis apparuerūt? Nihil certe minus. Ma-
gna quidē apparuit eorū maiestas, ſed multo minor eſt,
q[uod] q[uod] repondeat aeternae glorię filior[um] Dei. Nec tūc primū
descēderunt de cōelo, ſed iam antea p[re]ſto adfuerūt, & in
cōleſti regno māſerunt. P[re]ſentia aut̄ ſuā hoc tēpore &
hoc

hoc loco iuxta uoluntatem Christi, & quantu[m] discipuli ferre poterat (quaque nec tantillae maiestatis fulgorē constanter potuerint ferre) patefecerunt, ut dici quidē queat, eos de cœlo descendisse, hoc autem nihil aliud sit, quod plentiā suā reuelarint. Quid ergo? Nū & ipsi sunt ubique & implet cœlū & terrā, sicut & Christus. Expostimus supradicta maiestate Christi, quantu[m] est sacra scriptura in hoc seculo cōp[er] hendi potest. Ac de Christo quidē nō est dubium, quin cū nō sit tantu[m] homo, sed etiā uerus Deus, excellat maiestas sua o[mn]es sanctos, & data sit ei potestas absque ulla mensura. De sanctis autem scriptū est: Vnicuique nostrū data est gratia iuxta mēsuram donationis Christi. Nō igit[ur] simus in presentia & in hoc seculo de sanctor[um] in altero seculo statu, solliciti, sed tribuamus suā Christo maiestatē oībus quā noīari possunt inter creaturas excellentiorē, & adiungamus suos ei sanctos. Sic, n. nō erit metuendū, ne quid ipsi ad cœlestē felicitatē & maiestatē defuerit. Habes quid de cœlo, aut habitaculo Dei ac sanctor[um] eius sit sentiens. Si, n. loquendū est de cœlo corporeo, quod est initio à Deo creatū, nō est ubique, sed habet suū à terra discriminē & distantiā. Et dicit[ur] quidē & ipsum habitaculum Dei & sanctor[um] eius, nō aut existimandum est, quod Deus essentia sua plus ipsum, quam alias creaturas impleat, aut quod sancti eius in ipso Physicis locationibus & motionibus commorentur. Si autem loquendum est de incorporeo & spirituali cœlo, non est cogitandum, quod sit certus locus, suis spacijs circumscriptus, supra omnes cœlos, in quo sancti localiter & corporaliter stent, aut sedent, aut deambulent, sed quod sit regnum cœleste, quod nec locis, nec locor[um] interuallis, sed maiestate Dei definitur, ut ubique Deus maiestate sua regnat, ibi sit incorporeū & spirituale illud cœlū, de quo nobis in præsentia sermo est.

160 DE DIVINA MAIEST. CHRISTI,
est. Et ut Cingiani iterum habeat, quod pro ipsorum in-
genio exagitare possint, cœlum illud ea est conditione,
ut in eo non tantum Sancti homines, uerum etiam
Satan & Angeli eius inueniantur. Vbi ergo erit in-
fernus? Nū & ipse est in cœlo, aut in regno cœlesti? De-
hac re sit sollicitus Bullingerus, q̄ cū architectatus sit cœ-
lū locale supra oēs cœlos, definit etiam infernū certo lo-
co. Cūm enim iracundē admodum in me insurrexisse,
dolēs, credo, quōd paulo liberius errorem eius perstrin-
xissem, addit tandem de inferno, Dudum, inquiens, ille
suo in loco, ut carcer hostium Dei, à Deo iusto, & omni
potente extrectus, & cōstitutus est. Fidem ergo hīc scri-
pturæ simpliciter sequor, & absque curiositate Spiritui
sancto per scripturas loquenti, credēs, sentio, infernum
esse infra nos, LOCVM CERTVM, impījs à Domi-
no iustissimē destinatum, amplū & abundē instructū, sa-
tis ad excipiēdos & torquendos omnium seculorum
impīos, &c. At si tu Bullingere, fidē scripturæ simplici-
ter sequereris, & absq̄ curiositate spiritui sancto per scri-
pturas loquenti crederes, nō tam pertinaciter incendiū
de coena Domini excitatum foueres, nec quereres tene-
bras in luce horū clarissimorū uerborū, Hoc est corpus
meum, Hic est sanguis meus &c. & sicut nō somniaſſes
locale cœlum supra omnes cœlos, in quo sancti aut sede-
rent aut deambularent, ita nō somniaſſes nunc localē
infernum. Scimus quidem autoritate scripturæ, esse in-
fernū. Scimus tam diabolos, q̄ impīos & impeniten-
tes homines perpetuō in eo torquendos, sed ubi scriptu-
ra definit hunc infernum certo loco? Vbi collocat eum
localiter & corporaliter uel intra uel infra hanc terram?
Hæc uerstra sunt, Bullingere, commenta, non scripturæ
documenta. Ac profecto, nisi docueritis, uel intra uel in-
fra

fra hanc terram esse adhuc reliquam aliquā localem, localem
 (inquam) & corporalem regionem, eamq; latissimam qui-
 dem, sed circūscriptam, in qua damnati localiter & corpora-
 liter detineantur, quemadmodum de uestro cōsilio commenti
 estis, nunquam effugere poteritis, quin in luculento figmen-
 to depræhensi sitis. Ais quidem te non uelle de inferno & in-
 ferni loco curiosius disputare. Cur ergo tam cōfidenter affir-
 mas esse certum locum & cur definis eum loco, eoq; corpo-
 reo? Quicquid autem sit de situ loci inferni, certè quia Bul-
 lingerus omnino definit infernū corporali loco, necesse ha-
 bet eum longè omnium distantissimè à sua cōsilio collocare, ut
 cōstet ingens illud chaos, quod Abraham inter beatos & dā-
 natos esse affirmat. Non est autem distantior ab eo cōsilio lo-
 cus, quām medius punctus terræ. In hoc igitur loco Bullin-
 gerus infernum collocet, necesse est; sed hīc etiam atq; etiam
 uidendum erit, num is punctus sit tam amplè & latè regionis
 capax, ut queat tantam damnatorum multitudinem compre-
 hendere. Ac profecto diligenter cogitandum erit, ne hac ra-
 tione, non solum primum caput Geneseos, apud Mosen, ue-
 rumetiam diameter terræ apud Geometras periclitentur.
 Quare difficulter ab ijs impetrabitur ut concedant, intra ter-
 ram adeoq; in punto terræ, reliquam adhuc esse corpora-
 lem quandam regionē terra ipsa multis parasangis latiorem
 & ampliorem. Nam quod scriptura affirmat rebelles uiuos
 in infernum descendisse, & psalmus imprecatur, ut impij de-
 scendant in infernum uiuentes, idē etiam plus patriarcha la-
 cob de pio suo filio Joseph dicit, Descēdam ad filium meum
 lugens in infernum. His autem uerbis non intelligendum
 est eum infernum, in quem damnati perpetuò cruciandi
 coniiciuntur, esse certum & corporalem, uel in medio terræ,
 uel infra terram, locum. Sed illos quidem repētina morte in-
 teriisse. (Hoc enim est uiuum in infernum descendere) Iaco-
 bum autem, in luctu ex hac uita excessurum, sicut putabat e-

tiam filium excessisse. Nec ego de amplitudine spaciū infernā
 his sollicitus sum, sed anilia uestra deliria de illo uestro cor-
 porali & locali cōelo ac inferno rideo, ut qui in professione
 Christianæ doctrinæ nondum eo profeceritis, quo aliquid
 sublimius, quam prophani Ethnici, desedibus cōeli ac inferni
 sentiat, sed relictis, in locali suo inferno Cinglanis, rever-
 temur nos ad uerum nostrum cōclum. Nam cum sermo est de
 rebus spiritualib. & cōelestib, hæc uocabula, s V P R A ET
 I N T R A, usurpantur quidem ex humana consuetudine, nō
 definiuntur autem locis, sed dignitate, indignitate, maiesta-
 te, abiectione, gaudio, horrore, lāetitia, tristitia, & alijs id ge-
 nus. Dictum igitur est quod regnum superum seu cōeleste de-
 finiatur nec loco, nec locorum interuallis, sed maiestate Dei,
 qui non tantum gubernat corām, eos, qui fœlicitate huius
 regni fruuntur, uerum etiam Satanam & omnes illos, qui in
 perpetuam infelicitatem coniunctiuntur. Ergo ne & Satan &
 infernus erunt in regno cōlesti: Quid absurdius dici po-
 test: Fateor, coram Sycophantis, & ihs, qui carnalibus de cō-
 lo & inferno phantasmatis fascinati sunt, nihil potest dici ab-
 ominabilius. Sed qui sunt in sacris literis recte eruditii, & nō
 afferunt ad eas sua carnalia somnia, sciunt in Iobe inter filios
 Dei, assistentes coram Domino, affuisse etiam Satanam, &
 collocutum cum D O M I N O. Et in libris regum, uidet pro-
 pheta D O M I N U M sedentem super solium suum, & omnē
 exercitū cōeli assidentem ei à dextris & à sinistris, inter q̄s
 & spiritus mendax stetit. Et apud Paulum: Non est nobis hu-
 ita aduersus carnē & sanguinem, sed aduersus principatus,
 aduersus potestates, aduersus mundi Dominos, rectores te-
 nebrarum huius seculi, aduersus spirituales astutias I N C O E-
 L E S T I B V S. Quid igitur dicemus: quæ est illa Babylon:
 quæ rerum confusio: hoc nō tantum est cōclum terræ, ut ha-
 bet prouerbium, uerum etiam cōclum inferno miscere. Sed
 bene habet. Et si enim nec cōleste seu supernum, nec tartare-

um seu infernum regnum corporalibus locis ac locorū interuallis definiuntur, ac distinguuntur, tamen habet suū, idq; ut ita dicam, latissimum discriminē. Et quid nunc nobis de locis corporalibus uel cœli uel inferni? Cara ut habeas Deum propicium propter Christum, & siue uiuas siue mortuariis, eris in coelesti gloria & fœlicitate: si autem habueris Deū iratum, eris in inferno, etiam si fueris in medio filiorum Dei, & in altissimo uel terræ uel corporalis cœli loco. Sed o curas hominum, o quantum est in rebus inane. Quid anxiè laboramus loco, quo uel corpus Christi, uel nostra corpora in altero, hoc est, futuro seu reuelando seculo cōtineantur, cū & cœlum & terra unā cum locis suis transibunt, & nostra corpora erunt spiritualia?

De transitione seu abolitione cœli & terræ, posterior Petri Epistola, è psalmo & Esaia cōcionatur, Veniet inquiens, dies Domini sicut fur in nocte, quo cœli procellæ in morem transibunt, elementa uero estuantia soluent, & terra, & quæ in ea sunt opera, exurentur. Ac mox. Expectantes & accelerantes aduentum dñe Dei, per quem cœli incensi soluentur, & elementa æstuantia liquefcent. Cœlos uero nouos & terram nouam, iuxta promissa illius expectamus, in quibus iusticia inhabitat. Et Christus ipse, cœlum (inquit) & terra præteribunt, uerba aut mea nō præteribunt. Siue ergo substantia siue tantum inherētia huius mundi transibunt, certè sicut tempus, ita & locus, quæ sunt mundi inherētia una cum hoc mundo transibunt. De humanis aut corporibus dicit Paulus: Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale. Manifestum quidem est, quod corpus non mutetur in spiritum, sed fit spirituale, hoc est, ornatur conditionibus spiritualibus, ut quemadmodum spiritus nec cibo, nec potu, nec somno, nec loco,

nec tempore indiget, ita corpus nostrū nihil harum rerū indigebit.
 Sicut & alijs copiosius est expositū. Quid ergo in nouo illo cœlo &
 noua terra sit? Quæ erit rerū conditio? Magis quidem dicere possumus,
 quæ non sit q̄ quæ sit: attamen docuit nos de ea re Paulus, uel
 saltē pueriliter balbutire. Deus, inquiens, erit OMNIA in OMNI
 BVS. Deus ergo erit nostrum cœlum, nostra terra, noster locus, no-
 ster cibus, noster potus, nostra uita, nostra iusticia, nostra fortitu-
 do, nostra sapientia, nostra temperantia, nostra fœlicitas. Quid plu-
 ra? Deus erit in nobis OMNIA, idq̄ longè excellentius ac diuinius,
 quam ulla humana ratio cogitare, & ullus humanus sermo explicare
 potest. A seculo, inquit Esaias, non audierunt, neq; auribus perce-
 perunt, oculus non uidit, Deus absq; te, quæ præparasti expectanti-
 bus te. Fruantur igitur Cingiani suis in suo cœlo locis, sessioni-
 bus & deambulatiōibus, quæ & oculis uideri, & auribus audiri, &
 corde cognosci possunt: nos obediēti fide expectabimus ea, quæ no-
 bis tēporibus suis ostensurus est ille beatus & solus princeps rex re-
 gnantiū, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitā-
 tem, lucem habitā inaccessam, quem nemo hominū uidit, neq;
 uidere potest. Cui honor & imperiū sempiternū. Amen. Hactenus
 demonstrauī errorem Martyris & Bullingeri, quo uerā & substancialē
 præsentia corporis & sanguinis Christi in cena oppugnant-
 tanta, n. animi obstinatione impetu aduersus eam faciūt, ut malint
 uerē piam & à spiritu sancto traditam seniētiam, de incarnatione
 Christi, de Assumptiōe humanitatis in Deū, de maiestate diuinitati
 Christi, de sessiōe Christi ad dexteram Dei Patris, & de omnipo-
 tentia eius peruertere ac ficticiū cœlū approbare, q̄ intellectum suū
 perspicue ueritati uerborū cœnæ Dominicę captiuum reddere. Ad
 potuissem quidē carnalia eorū phantasmata, quæ clarissimē luci sa-
 cræ scripture, & coelestib. reb. inferre conantur, similiter etiā calū-
 nias & sannas quibus me exceperūt copiosius exagitare, sed uolui
 rationē habere ecclesia filij Dei, quæ iam nō hoc querit, quomodo
 Martyr, Bullingerus & Brentius se in uicē mordeant, sed quomodo
 hæc causa piè explicetur. Quod spero me, diuina clementia sine So-
 phistica & ullius calumnia, ita præstisſe, ut nō dubitē ad tribunal
 Domini nostri Iesu Christi, de cuius maiestate agitur, prouocare.
 Videat igitur Dominus, & iudicet inter nos & aduersarios, ut &
 tot offendicula ē medio tollantur, & discant tan-
 dem homines ῥλεηφοριæ, ne quotis do-
 Etinæ uento circumferantur.

DE DISPENSATIONE CORPORAIS ET

sanguinis Christi in cena.

Absoluti, propicio Deo, primā & præcipuā huius scriptū partem, in qua refutauimus carnalia somnia Cinglianorum de corpore Christi, & de regno coelesti, ac demonstrauimus Christū humanitate sua in tantā gloriā & maiestatem euentū, ut in ea nō solū nō circumscribat loco, uerum etiā cœlum & terrā (sed suo eoçp coelesti modo) impleat & omnia corā præsens gubernet. His igit̄ absolutis, accedemus, Deo adiuuante, ad alterā partē, quæ est de dispensatione corporis & sanguinis Christi in cena. Etsi. n. Christus ea est maiestate, ut omnia impleat, tamē corpus & sanguis eius non ubiq̄ su- menda & uescenda distribuuntur. Ac licebit quidē corpore & sanguine Christi, absq; ullo alio organo, ē sola prædicatio ne Euangeliū per fidē frui: Christus aut̄ tanta est beneuolen- tia & clementia erga suam Ecclesiā, ut priusq; intraret per pas- sionē & mortē in gloriā ac maiestatē suam, instituerit cœnā, in qua corpus & sanguineius Sacramento panis & uini, uere dispensarentur & sumerenf. Duo igit̄ præcipue sunt hominū genera, quibus cū de uera Dominice cœnæ ratione pugnat. Alterum est Cinglianorū, q; etsi affirmant eos qui credunt in Christū, fieri in cœna participes beneficiorū corporis & san- guinis Christi per fidē, tamē negant substantiam corporis & sanguinis Christi in cœna præstō adesse, sed tantū à cœna di- stare quantū supremū cœlum à terra distat. Hos in superiori huius scripti parte copiose & euidentibus argumentis refuta- vimus. Alterū genus est Papistarū, q; docent quidē uerā præ- sentiam & dispensationē corporis & sanguinis Christi in cœ- na: nō rectē aut̄ sentiunt de modo, q; hæc fiunt, & adsunt præ- sentia. Arbitranf. n. ea nō prius fieri præsentia, p; sacrificulus à pontificibus unctus, uerba cœnæ ad panem & uinum, pro- posito, ut ipsi loquunf, consecrandi, recitauerit, quippe q; uirtute horū uerborū (Hoc est corpus meum) fiat, ut corpus Christi, antea in cœlo existens, et à cœna absens, statim in mo- mēto præstō adsit in cœna. Hec est magia, quēadmodum aliā,

108 DE DISPENS. CORP. ET SANG.

demōstrauimus. Deinde sentiunt in tali cōsecratione notire manere substantiā panis, sed aut mutari in substantiā corporis, aut annihilari, & in locū eius succedere corpus, remanētibus tñ panis accidētibus, q̄ uocat prodigioso noīe Transubstantiationē. Hoc est humānæ rationis figmentū, quæ suis regulis uerba Christi subiicit. Fugiamus igit̄ & detestemur hos Cinglianorum & Papistar̄ errorēs, & sentiamus q̄ ubiq̄ est Christus (Est autem tam in cœlo, q̄ in terra & oīa corā omnipotētia sua gubernat) ibi habeat lecū terum suum corpus & sanguinē, quippe q̄ sit uerus Deus, & uerus homo, non aut ubiq̄ corpus & sanguinē suum sumēda distribuat. Sed relīcturus externā hanc & mundanā uitę rationē, qua triginta tribus annis in hoc seculo conuersatus fuerat, instituerit Cœnā, in qua cum accūberet cum discipulis suis, accepit panem, & postq̄ gratias egisset, fregit ac dixit, Accipite. Edite, Hoc meū est corpus, qđ pro uobis traditur. Hoc facite in mei cōmemorationem. Ad eundē modum & poculum, peracta cœna, dicens, Hoc poculum nouum Testamentū est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumq̄ biberitis, in mei cōmemorationem. Vel ut Matthæus habet: Bibite ex hoc oēs. Hic est n̄ sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionē peccator̄. Hactenus institutio cœnæ Dominicæ. Multa hic nobis obseruāda proponuntur. In primis asit dispensatio corporis & sanguinis Christi, Sacramento panis & uini, consideranda est. Non n̄ sentiamus quod priusq̄ uerba cœnæ recitantur, corpus & sanguis Christi sint absētia. Ostendimus enim, q̄ cum totus Christus, etiā si non celebretur cœna, prēsto adsit maiestate sua tam in cœlo q̄ in terra, ac maximē omnium in sua Ecclesia, habeat secum semper uerum suum corpus & sanguinem, sed quod quæ antea uere erant præsentia, nunc per prædicationem seu recitationē uerborū Christi pane & uino distibuat. Accepit (inquit Euangelist̄) Panē, Nō accepit saxum, nō lignum, nō pomum, nō pyx, nō cerasum, nō persicum, nō aliud quicq̄ esui uel aptum

sp̄tū uel ineptum. Quare sicut his rebus nō dispensantur cor
 pus & sanguis Christi, ita rectē dici potest, q̄ nec in ipsis sit cor
 pus, & sanguis Christi, nō quòd totus Christus nō omnia im
 pleat, & corā p̄sens maiestate sua non gubernet, sed quòd il
 lares nō definiātur uerbo Christi, ut in ipsis aut per ipsas cor
 pus & sanguis eius distribuantur. Accepit panē, accepit & ui
 nū. Quid egit cū pane & uino? Benedixit, quēadmodū Mar
 cus ait. Non est aut̄ intelligendum, q̄ formauerit digitis suis,
 super panē & uinū figurā crucis, ut ejaceret diabolū, & intro
 duceret in locū eius corpus & sanguinē suū, sed uerbo ben
 dicendi intelligēda est laudatio & gratiar̄ actio, sicut alij Eu
 angelistæ scribunt, Eḡit (inquiunt) gratias. cui Dño Deo Pa
 tri suo cœlesti. Laudauit, n, nomē Dñi Dei Patris sui, & grati
 as eḡit, quòd tanta sit erga ipsum beneuolentia, ut suscipiat sa
 crificiū corporis & sanguinis sui, mox in cruce peragēdum,
 pro expiatione peccator̄ totius mundi. Quare, ut Ecclesia ma
 nifeste cognosceret, beneficium huius sacrificij maximē oīm
 ad se pertinere, FREGIT. (Postq̄ gratias eḡisset) PANEM.
 Frāgere aut̄ more scripturæ est diuidere seu dispensare. Fran
 ge (inqt̄ Esaias) esurienti panē tuū, hoc est, distribue & dispen
 sa. Christus ergo fregit Panē (hoc est) distribuit inter discipu
 los accumbētes & dedit eis dicens, Accipite, edite. Quid: PA
 NEM. Quid aut̄ est porrectus iste Panis? Additur. Hoc meū
 est corpus. Similiter accepit poculū ac porrexit eis et dixit: Bi
 bite ex eo oēs. Hic est sanguis meus, etc. Cū igitur Christus di
 stribuit Panē & uinū in sua cœna, nō distribuit tñ panē & ui
 nū, sed etiā corpus & sanguinē suū, ut quicunq̄ acciperet h̄c
 Panē & hoc uinum, acciperet eo ipso etiā hoc corpus, quod
 mox erat crucifigēdum, & hunc sanguinē q̄ui mox erat pro
 peccatis mundi effundendus. Itaq̄ hic Panis uerē est corpus
 Christi, & hoc uinum uerē est sanguis Christi, quod in ipsis &
 per ipsa corpus & sanguis Christi uere dispensen̄. Nec te mo
 ueat, qui fiat, quòd cū totus Christus habitet uere in homine
 credente, accipiat tñ homo in cœna corpus & sanguinē eius.

Ac,

Ac profecto, nisi quis ante possideat & habeat per fidē eori
 pus & sanguinē Christi, q̄ in cœna accipiat, nō fiet beneficio
 sum, quæ p̄ij per corpus & sanguinē Christi assequūtur, pari
 ceps. Quid igit̄ noui in ea coena accipit? Nihil certe noui acci
 pit, si ipsam totius Christi oīa impletis substantiam confide
 raueris: sed si operationē Christi & reuelationē donoꝝ eius
 intuearis, accipit nouum donum & nouū beneficium. Suma
 mus exēplum de spiritu sancto. Hic si naturā eius inspexeris,
 omnia implet, tam in coelo q̄ in terra. Quò ibo, inquit, à spiri
 tu tuo, & quò à facie tua fugiam? Et tñ Christus cùm exresut
 rectioꝝ rediret ad suos Apostolos, insufflavit in eos, & ait: Ac
 cipite Spiritū sanctum. Et in die Pentecostes missus est Apo
 stolis spiritus sanctus. Et repleti sunt (inquit Lucas) oēs Spir
 itu sancto. Quid opus erat, ut Spiritus sanctus mitteretur? &
 quomodo omnes Apostoli repleti sunt Spiritu sancto, cum
 Spiritus sanctus antea præsens erat, & replebat nō tam Apo
 stolos quām uniuersum orbē? Hic, si de essentia Spiritus san
 ctioꝝ loquēdum est, nō mittebatur, nec recēs Apostolos imple
 bat, sed erat, ut uerus ab æterno Deus, in coelo & in terra, &
 conseruabat omnia. Si autem loquendum est de donis Spir
 itus sancti, et si Spiritus sanctus ubiq̄c̄ est, ibi secum etiam
 habet dona, non tantum generalia illa, quibus conseruat o
 mnes creature, & distribuit unicuiq; quod sibi congruit, ne
 rumetiam illa dona, quæ ad æternam salutem, & ad conser
 uandam Ecclesiā sunt necessaria: hæc tamen dona non con
 feruntur in quemuis, aut, ut rectius loquar, non reuelantur
 in quouis. Et dicuntur de coelo uenire, non quōd corporali
 modo de coelo descendant, & illabantur in hominem, sed
 quōd in homine reuelantur. Non dissimiliter de Christo &
 corpore ac sanguine eius sentiendum est. Nam si respexeris
 substantiam & maiestatem eius, non solum implet cœlum
 & terram, uerumetā pascit corpore & sanguine suo omnes
 in ipsum credētes, sine ulla intermissione: sed si considerauē
 ris institutionem coenæ, & peculiaria dona eius, Christus tūc
 dicitur

dicitur præsens esse, ac Ecclesiam suam corpore & san-
guine suo pascere, cum porrigit ei panem & uinum, di-
cēdo, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, ac
affert imbecilli fidei robur, & afflictæ conscientiæ con-
solationem: Quare etsi Christus antea uerè est una cum
corpore & sanguine suo in credente, tamen in coena por-
rigit ei corpus suum, pane uescendum, & sanguinem ui-
no bibendum, ut conferat in ipsum ea dona, quæ ad fi-
dei confirmationem & ad certitudinem de diuina cle-
mentia, sunt salutaria. Sunt enim duo organa, per quæ
Christus, qui accepit dona in hominibus, sua beneficia
conferre, aut si ita libet excitare, & reuelare solet. Alte-
rum est prædicatio Euangeli, absq; externo Sacra-
mento. Alterum eadem prædicatio, cum externo Sacra-
mento: Euangelion, inquit Paulus, est potentia Dei ad salu-
tem omni credēti: Et Fides ex auditu est, auditus autem
per uerbum Dei. Cum igitur uerbum Dei, seu Euange-
lion de Christo & beneficijs eius prædicatur absq; exter-
no Sacramento, reuelantur & traduntur auditori, cœle-
stia beneficia præsenter quidem, sed generatim & sim-
pliciter, si autem prædicatur unā cum adjuncto Sacra-
mento, Baptismo uidelicet, aut pane & uino cœnæ do-
minicæ, reuelantur & traduntur cœlestia beneficia pe-
culiariter; & ut ita dicam dupliciter: Semel uidelicet uer-
bo, & iterum Sacramento: ut quod uerbo generaliter
promittitur & exhibetur, Sacramento peculiariter ap-
plicetur. Quare sicut in Baptismo, qui in nomine Patris,
& Filii & Spiritus sancti dispensatur, præsens est Pater
& Filius & Spiritus sanctus, ac recipit (quantum qui-
dem ad ministerium externum attinet) eum qui baptisa-
tur in gratiam, & regeneratur: Vnde Baptismus re-
cte dicitur, & est lauacrum regenerationis ita in coena,

Y in qua

170 DE DISPEN. CORP. ET SANG. CHRISTI.
in qua panis & uinum cum hac uoce Christi, Hoc est
corpus meum, Hic est sanguis meus dispensantur, præ-
sens est Christus, & sumenti panem & uinum applicat
(quatum quidem ad externum ministerium attinet)
corpus & sanguinem suum, unde recte panis dicitur & est
corpus, & uinum sanguis Christi. Quid pluribus opus
uerba ipsa Christi in cœna, Accipite, Edite, Bibite, mul-
to clarus & manifestius, quam ulla alia argumenta, de-
monstrant, quod in ea fiat dispensatio non panis, nec
uini tantum, uerum etiam corporis & sanguinis Chri-
sti, idque non absentium, sed uere præsentium, eo qui-
dem modo, quo res cœlestes, in quorum catalogo conti-
nentur etiam corpus & sanguis Christi, quæ nullo cor-
poreo loco circumscribuntur, præsentes esse solent.
Et si autem corpus & sanguis in uiuente homine non
separantur, tamen non est sentiendum, quod corpus &
sanguis Christi solo pane dispensentur, quemadmo-
dum Papistæ somniantur, sed quod corpus dispense-
tur seorsim pane, & sanguis seorsim uino. In dispen-
satione enim cœnæ non hoc agitur, ut quæ in Christo na-
tura coniuncta sunt, separantur; sed ut ea diuersis Sa-
cramenti partibus represententur, & sumenda tradan-
tur. Explodendum igitur est mendacium, quo Papis-
tæ laicis, ut uocant, suæ Ecclesiæ, os sublinunt, & di-
cunt eos tam sanguinem pane bibere, quam uino.
Ideoque altera parte Sacramenti debere esse conten-
tos.

Hactenus de dispensatione, qua Christus ipse cor-
pus suum pane & sanguinem uino in cœna distribuit.
Quid ergo? Num Christus suam cœnam ita celebra-
uit, ut ipse quidem dispensauerit in ea discipulis cor-
pus & sanguinem suum, non autem posteris ea dispen-
sanda

sanda commendauerit. Absit. Autoritatem quidem suam, qua coenam instituit, sibi retinuit, ministerium auctem dispensande coenæ Ecclesiae fuæ commendauit. Non enim ipse tantum accepit panem & uinum, & distribuit ea dicens, illum esse corpus, hoc autem sanguinem suum: uerum etiam addit, Hoc facite, inquietus, in mei commemorationem. Et explicat Paulus: Quotiescunq; inquietus, comedetis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuntiate, donec uenerit. Quibus dictis significatur, quod sicut Christus dispensauit in coena suum corpus & suum sanguinem, ita celebrandam esse in Ecclesia, usque ad nouissimum huius seculi diem coenam, in qua non minus corpus & sanguis Christi dispensentur pane & uino, quam in prima coena factum est. Sacra ipsa oblatio, inquit Chrysostomus, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quo cuncti Sacerdotes modo conficiunt. Nihil habet ista, quam illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat &c. Et iterum, Contemnere obsecro, Ad stat mensa regia, adsunt Angelii, mensa huius ministri, adeo Rex ipse, & tu oscitabundis adstas, sordidis induitus es, & tu nihil curas? Sumamus igitur corpus & sanguinem Christi, in nostra coena, non alia reuerentia, non alia fide, non alia obedientia, quam si accubuissemus in prima illa coena, quam Christus adhuc in terra coram uisibili praesentia celebrauit. Sed quibus dispensantur corpus & sanguis CHRISTI in coena? Non certe alijs, quam ihs, qui in mensa accumbunt, & ad quos hec

Chrys.
Ad Ephe
sios c. 2.
Serm. 3.

172 DE DISPEN. CORP. ET SANG. CHRISTI.
uerba, Accipite, edite, Hoc meum est corpus, Et bibite,
Hic meus est sanguis, pertinent. Primit igitur, haec uer-
ba non pertinent ad Caiapham aut Pilatum: Neque enim
hi accubuerunt, neque si interuenissent, & rapuissent pa-
nem & poculum, pertinuissent ad eos haec uerba, Acci-
pite, edite, bibite: Non igitur accepissent corpus Christi,
nec bibissent eius sanguinem. Deinde, non perti-
nent his temporibus nec ad Iudeos, nec ad Turcas, quia
ne ipsis quidem accumbunt, & si forte in celebratione
coenæ accurreret, ac raperent panem & uinum, non tan-
men ederent corpus Christi, nec biberent sanguinem
eius, quod nihil ad ipsos uerbum Christi. Præterea uer-
bum Christi nihil ad mures aut muscas: Quare etiam si
illí rodant panem, & haec sorbeant uinum, non tamen
edunt corpus Christi, nec bibunt sanguinem eius. Etsi
enim Christus omnia implet maiestate sua, corpus ta-
men & sanguis eius, non dispensatur in coena, ut nec Caia-
phæ & Pilato, ita nec muribus & muscis. Postremo uer-
bum Christi non pertinet ad Sacrificulos papisticos, qui
in Missis suis somniant, se sacrificare pro peccatis uiuo-
rum & mortuorum: Hi enim, et si recitant uerba Coenæ
dominicæ, & edunt panem ac uinum, tamen nec habent,
nec edunt corpus, nec bibunt sanguinem Christi, quia
non celebrant Coenam dominicam, sed Missam papistica-
cam. Ad ueram enim Coenam dominicam, pertinet pri-
mum, Commemoratio, hoc est, publica prædicatio & re-
citatio uerborum, quibus Christus, non solum coenam su-
am instituit, & corpus pane, ac sanguinem uino dispen-
sauit, uerum etiam mortem suam ac beneficia eius expo-
suit: Quod pro uobis, inquit, traditur, & qui pro uobis
effunditur. Sacrificuli autem Papistici, in tantum non
commemorat prædicationem uerborum Christi publice,

ut

ut etiam graui poena à suis Pontificibus prohibeantur,
ne ad aures Laicorum, ut uocant, commemorent. Dein
de ad ueram Cœnam dominicam pertinet Communio,
seu dispēsatio panis & uini: Non enim fuisset coena in-
ter Christum & Apostolos, si solus Christus edisset ac
bibisset, esurientibus interim ac sitiensibus Apostolis.
Sacrificuli autem non dispensant panem & uinum in
priuatis suis Missis, sed soli ipsi uescuntur & bibunt.
Cum igitur non celebrēt in Missis suis, ueram cœnam
Domini, manifestum est, quod nec habeant in Missis,
nec sumant corpus & sanguinem Christi, & cum obtru-
dunt Ecclesiae suum panem pro Christo adorandum, &
opus suum, ad peccata expianda, designent horrendam
Idolomaniam, & detestandam impietatem. Ad quos ex
gō pertinet uerbum Christi, Accipite, edite, bibite, &
qui sunt illi qui in cœna, sumunt corpus Christi pane, &
bibunt sanguinem eius uino: Respondeo: Pertinet ad
discipulos Christi, qui in mensa accumbunt. Fuerunt
ne hi omnes pij & sancti: Manifestum est quod & Iudas
Ischariotes proditor, inter ipsos accubuerit, Accubue-
rint etiam reliqui Apostoli, qui tanta erant imbecillita-
te, ut & mox de primatu odiose rixarentur, & paulo post
Christum, turpissima fuga desererent, ac Petrus etiam
abiurare: Et tamen quia Christus cum ipsis colloque-
batur, & porrigendo panem ac uinum dicebat, Accipi-
te, Edite, hoc meum est corpus, Bibite, hic meus est san-
guis: Idcirco negari non potest, quin & corpus & san-
guinem Christi sumpserint. Iudas quidem, quia impoe-
nitens, ad condemnationem, sicut & Christus ipse, odor
est mortis ad mortem, impoenitentibus. Reliqui autem
ad salutem, quia peccatores quidem, sed poenitentes.
Habes igitur quod et si totus Christus implet maiestate

74 DE VSV ET FRVCT. COENAE DOM.
sua cœlum & terram, ac omnia coram gubernat, tamen
non omnibus, nec ubiuis dispensatur corpus & san-
guis eius, sed tantum in uera sua cœna, & discipulis in
ea accumbentibus, siue dignis siue indignis, illis quia
dem ad salutem, his autem ad iudicium. Et hactenus de
dispensatione corporis & sanguinis Christi.

DE VSV ET FRVCTV COENAE DOMINICAE.

Martyr in suo Dialogo percontatur, quid ad ce-
nem opus sit præsentia humanitatis Christi? Ita multi
alij Impij sunt, qui percontari solent, quæ sit necessitas
præsentiae corporis & sanguinis Christi in cœna, &
quid si nullam omnino cœnam haberemus, num pro-
pterea nobis esset omni cœlesti salute carendum? Hoc
autem non est homini, sed Deo ipsi insultare, & bene-
ficia eius contumeliose, ac summa animi ingratitudine
excipere. Etsi enim Deus potuisset, pro immensa sua
majestate humanum genus alia ratione, quam incar-
natione filij sui seruare, & omnia absq; præsentia hu-
manitatis Christi gubernare, potuisset quoq; filius Dei
absque institutione cœnæ dominicæ, & dispensatione
corporis & sanguinis sui, saluti Ecclesiæ consulere, ta-
men quia hæc conferendæ salutis ratio uisa est & pla-
cuit uoluntati Dei, non solum existimandum est, eam
esse & sapientissimam, & congruentissimam: sed etiam
agnoscenda sunt hæc diuina beneficia gratissima men-
te. Consideremus igitur, quis sit usus cœnæ dominicæ,
& quam utilitatem ex ea consequamur. Non ignorar-
mus quidem, quod multi indigni sumant cœnam, qui
repro-

reportant ex ea non solum nullam utilitatem, uerum etiam maximam perniciem. Quisquis ederit panem hunc, & biberit de poculo Domini indigne, reuserit corporis & sanguinis Domini, & edit ac bibit sibi iudicium; hoc autem non sit uitio Coenæ, sed uitio indignitatis eorum, qui bonam & utilem cœnam malè & indignè sumunt. Exponemus igitur, non quid cœna alieno uitio sit, sed quid officio Spiritus sancti afferat, si quis ea dignè, hoc est, in uera pœnitentia, & ex fide Domini nostri Iesu Christi utatur. Ac primum omnium cœna Domini non est muta actio, nec otiosum spectaculum, sed prædicatur in ea de morte Christi, quod sit expiatio peccatorū nostrorum, & exhibetur nobis pane et uino, corpus illud quod est uita mūdi, & sanguis ille, qui emundat nos ab omni peccato. Vbi autem auditur ex fide beneficium mortis Christi, & sumitur corpus & sanguis eius, ibi fides, autore Spiritu sancto, non uerbo tantum, sed etiam Sacramento cōfirmatur & stabilitur. Sicut enim fides, ita & confirmatio fidei ex auditu: Auditus autem per uerbum Dei. Vbi autem fides confirmatur, ibi etiam de æterna nostra uita & felicitate certificamur & confirmamur. In tantum enim beneficijs diuinis fruimur, quantum fidei habemus; Fiat, inquit, tibi se cundum fidem tuam. Quare usus cœnæ dominicæ ex fide, rectè nobis dicitur æternam uitam & felicitatem afferre. Vnde Chrysostomus: Quemadmodū (inquit) frigida accessio periculosa est, ita nulla mysticæ illius cœ*1. Cor. 10.*

Chrysostomus: Quemadmodū (inquit) frigida accessio periculosa est, ita nulla mysticæ illius cœ*1. Cor. 10.*

anæ participatio, pestis est et interitus. Ipsa namque mensa, animæ nostræ uis est, Nerui mētis, fiduciae uinculū, fundamentū, Spes, Salus, Lux, Vita nostra &c. Cum igitur tam magna & tā multa beneficia nobis digno usu cœnæ dominice offerantur, agite dū, nō contēnamus, nō frigidè acceda-

176 DE DISPEN. CORP. ET SANG. CHRISTI.
accedamus, sed pœnitentiam ueram agamus, & in fide
sumamus, ut æternam uitam & salutem reportemus.
Deinde, in dispensatione poculi, Christus ait: Hic est
sanguis meus, qui est noui TESTAMENTI. Aut, ut
alias dicit: Hoc poculum nouum est Testamentum in
meo sanguine. Tribuit suæ ipse cœnæ, nomē TESTA
MENTI, quod morituri facere, & de ultima sua uolu
tate testari solent. Videamus igitur quid in Testamen
tis fiat, ut ex eo utilitatem cœnæ Dominicæ cognosca
mus. Solenne enim est, ut homo uel de morte cogitans,
uel morti propinquus condat Testamentum, in quo su
am cuique hæredum portionem hæreditatis, alijs quoque
quibus uisum est, legata assignet: Vnde & de Abraha
mo scriptum est. Dedit Abraham cuncta quæ possede
rat Isaaco, hoc est, instituit Isaacum in legitimum hære
dem, filijs autem concubinarum largitus est munera,
seu legata. Cum igitur Christus ex hoc modo esset mor
te discessurus, suscipit & ipse, pro more, Testamentum
faciendum. Quid autem bonorum temporalium aut ter
renorum suis hæredibus legaret, nō habebat. Filius, in
quit, hominis, non habet ubi reclinet caput suum: Ac
tunicam quoque & reliquas uestium partes, paulo post di
repturi erat milites. Sed nec uenerat in hunc mundum,
ut dominaretur regio more, & dispensaret externa bo
na, nec ea quicquam nobis ad ueram & æternam salu
tem profuissent, etiamsi inter nos hæredes suos, dispen
sasset. Fingamus quod Christus legasset in suo Testa
mento, Petro quidem regnum Hierosolomytanum, Ia
cobo regnum Aegyptiacum, Bartholomæo regnum
Aethiopicum, alijs autem maximam uim pecuniae, qua
possent pro suo arbitrio negociari, & magni fieri, quid,
obsecro, hæc ad ueram salutem contulissent? Non fu
sent

sent ex his legatis, nec sapientiores, nec iustiores facti: addo etiam, nec opulentiores aut ditiiores. Nec enim regna, nec pecuniae reddunt hominem ditiorem. Avaro, inquiunt, tam deest quod habet, quam quod non habet. Quare Christus consulturus ueræ & æternæ salutis suorum hæredum, nō legauit eis in Testamento suo externa & temporalia, aut aliena bona. Quid ergo legauit? Quod habuit & proprium & preciosissimum, uidelicet suum ipsius corpus, & suum ipsius sanguinem. Non existimes hæc esse uulgaria legata. Non potuissest Ecclesiæ suæ & prestantiora & magis salutaria bona legasse. In corpore enim & sanguine suo, quæ ad expianda peccata nostra coram Deo patre impendit, legauit nobis P E C C A T O R V M R E M I S S I O N E M. Quid autem maius, quid excellentius nobis posset contingere? Vbi est peccatorum remissio, ibi est Deus propicius, iustitia, uita, & æterna salus. quid ergo nocere posset uel paupertas, uel infamia, uel ægritudo, uel mors, uel infernus? Vbi autem non est remissio peccatorum, ibi nihil profuerint uel diuinitat, uel dominationes, uel sanitates, uel quicquid hic mundus suspicit & admirat. Quare, cū Christus legauerit Ecclesiæ in testamento suo corpus & sanguinem suū, ac eo ipso remissionē peccatorū, quæ per sacrificiū corporis & sanguinis est imperata, sentiendū est, q̄ legauerit ei summa, optima, utilissima, & ad uerā salutē maximē omniū necessaria bona. Hæc aut̄ eō dicunt, ut in usu huius Testamēti faciamus, quod aliás in usu mundanorū testamentorū facere solemus. Nam si quis fuerit in mundano testamento hæres institutus, & excludatur uel cohæredum, uel aliorū iniquitate à capienda hæreditatis suæ portione, statim appellat ad literas Testamenti, has profert in mediū, has inspicit & expendit, has aduersarijs obtrudit, his se se ab om

Z nibus

nib⁹ obiectionibus tuetur, ut tandem ad capiendam partem hæreditatis admittatur. Non dissimiliter nos in usu Testamenti Christi geramus. Promissa est nobis Remissio peccatorum & hæreditas æternæ uita propter Iesum Christum Dominum nostrum. Et in hoc confessæ sunt literæ Testamenti, quæ sunt institutio cœnæ Dominicæ. Satan autem aduersarius noster reijcit nos à capienda hac hæreditate. Obi⁹cit nobis multitudinem & magnitudinem nostrorum peccatorum. Dicit, Maiora & plura esse nostra peccata, quam quæ coram Deo remittantur, ideoque negat ad nos pertinere hæreditatem cœlestis regni. Et concedit quidem Deum esse clementem & misericordem, sed ihs, qui dilingunt ipsum (ut Lex habet) & custodiunt mandata eius. Tu uero (inquit) nec dilexisti Deum ex toto corde, nec unquam custodisti uel minimum mandatum eius perfecte. Quid igitur tibi de æterna salute sperandum aut expectandum? Hæc sunt ignita facula aduersarij. Quid ergo faciendum? Proferendæ sunt literæ Testamenti, sumenda est cœna Dominicæ, ut ex ea admoneamur, ut mō certificemur de nostra hæreditate, de remissione peccatorum, & uita æterna. Non neganda quidem est multitudo & magnitudo nostrorum peccatorum, sed ingenuè confitenda coram Deo. Nec illud est negandum, quod legem Dei nunquam perfecte seruauerimus. Sed habemus literas Testamenti, habemus cœnam Dominicam, in qua, cum nobis legata sint corpus & sanguis Christi, eo ipso legata est nobis remissio peccatorum & æterna uita. Quid ergo? Num Christus propter nostrorum peccatorum multitudinem & magnitudinem retractabit ueritatem sui Testamenti? Num fieri mendax, quod ego fuerim inobediens? Nihil certe minus. Coenam

lum, inquit, & terra præteribunt, uerba autem mea non
 præteribunt. Consideremus igitur ex nomine Testa-
 menti, quām latē pateat usus cœnæ Dominicæ. Sicut au-
 tem Christus uocauit cœnam suam Testamentum, ita
 Ecclesiastici nostri maiores uocarunt eā nec ineptè, nee
 inutiliter, uiaticum. Nō enim habemus hic manentem
 ciuitatem, sed futuram inquirimus. In hoc igitur mun-
 do peregrinamur à Domino. Et quod ille dicit: Incola
 ego sum in terra & peregrinus, sicut omnes Patres mei,
 idem de nobis dicendum est. Peregrinorum autem mos
 est, ad aliena hospitia diuerti, nō ut ibi perpetuo hæreāt,
 sed ut ijs hospitijs ad tempus utantur, donec iter suum
 conficiant. Ac nisi uiatico fuerint instructi, & sese ab ijs,
 ad quos diuertunt, redemerint, pesimè tractari, aliquo
 ties etia in vincula coniisci solent. Sumus & nos in his ter-
 ris peregrini, ac necesse habemus in ea hospitia diuerti,
 in quibus Satan paterfamilias est & Princeps, qui hospi-
 tes suos blandè quidem aliquoties excipere, sed Tyran-
 nicè tractare, ac nisi extremum quadrantem persoluas,
 hostiliter opprimere solet. Ecce enim tibi, hic est hospiti-
 um exilij & paupertatis, illuc hospitium infamie, istic ho-
 spitium morborum, & cum diu peregrinatum fuerit,
 tandem diuertendum est ad hospitium Mortis. Quòd si
 nō fueris probè instructus uiatico, princeps huius mun-
 di, qui est Satan, nunquām dimittet te illesum. Habet eni-
 nim in omnibus his hospitijs suum ius, & suam domi-
 nationem, idq; propter peccatum, quo factus est non tam
 Princeps, quām Deus, ut Paulus ait, huius seculi. Quare
 cum diuerteris in hospitiū paupertatis, exigit ius suum,
 quod habet propter peccatum, & cogitat te in pauperta-
 te perdere. Ac nisi redemeris te uiatico, omnino est tibi
 pereundum. Cum diuerteris in hospitium morborum,

exigit ius suum, quod habet propter peccatum, & nisi numeres, minatur tibi exitium. Ad extremum cum diuerteris ad hospitium mortis, ibi tum, sicut excipit te crudelissime, ita tractat te immani tyrannide, propter peccatum, ut nisi de tuo uiatico numeres, nunquam sit te dimissurus, donec te in aeternū barathrum coniiciat. Quod ergo est uiaticum illud, quo possumus nos a tanto exitio redimere? Scimus quidē Christum ipsum esse ἐντίλυτρον, hoc est, premium redemptionis nostrae: sed quia se nobis ipse una cum corpore & sanguine suo in coena sumendum tradidit, idcirco recte dictum est, cœnam Dominicam esse uiaticum, quo nos in peregrinatione nostra, ab insultatione latronum, & a tyrannide Satanæ redimamus. Si enim satan siue in hospitio paupertatis, siue in hospitio morborum ac mortis exigit a nobis ius suum, quod habet in nos propter peccatum, & minatur nobis aeternam internectionem, habemus cœnam Dominicam, in qua corpus & sanguis Christi, que sunt preciū redēptionis nostræ, pane & uino sumenda proponuntur. Hac igit̄ in fide sumpta, & Satanæ obiecta, tantū abest, ut possit nos satan in exitio detinere, ut necesse habeat se ipse in perpetuū exitiū proripere, ac nobis liberrimā ad cœlestē patriā profectionē permittere. Nam cū in coena pascamur carne & sanguine Christi, q̄ & morte uicit, & a mortuis resurrexit, ac aeterna beatitudine fruīt: fieri nō pōt, quin & nos in ipso mortem uincamus, & deuicta morte, sempiternā fœlicitatē aſſerquamur. Quare, sicut afflicti in hac uita, coena Dominicā, ad capiendam in omnibus aduersis consolationē & uitā, uti debent: ita crudelitatis genus est, morituros ab usu coenæ Domini deterrere, & eos tā utili, in periculosisssima sua peregrinatione, uiatico priuare. Postremo est & coena Dominicā mutuare charitatis symbolum,

quo excitamur, ut quemadmodum una caro, & unus sanguis cum Christo efficiamur: ita nos in unicem, ut unius corporis membra mutuo amore complectamur. Sed de usu coenæ Dominicæ non libet longiorum declamationem instituere, uolui autem hæc pauca, quæ alias copiosius explicata sunt, de dispensatione coenæ & usu eius, ijs, quæ de uera præsentia corporis & sanguinis Christi in coena, dicta sunt, adiucere: ut etiam hac in parte significemus, nos nullo planè contentionis studio suscepisse ueram corporis & sanguinis Christi præsentiam coena terminalam: sed nos hoc officium tam Christo filio Dei, q[uod] eccl[esiæ] eius debere, ut & Majestatem Christi (quod in nobis est) in uiolatam & illustratam conseruemus, & uerum usum coenæ Dominicæ retineamus. Non dubito, quin, quod est Cinglianorum ingenium, satis habeant conuictiorum & calumniarum, quibus hec nostra p[ro]ia scripta proscindant, & suam impietatem defendere studeat: sed quod ad me attinet, etiā scriptis suis inhumaniter me tractauerint, tamen illud officium eorum mihi gratissimum est, quod his scriptis suis publicum de me testimoniū ferat, me à dogmate eorum peius cane & angue abhorre, ac planè non esse Cinglianum. Non damno Ecclesias eorum, quippe quod Deus tanta sit clemētia, ut etiam in media Baalitarum doctrina reseruet sibi sua septem millia uirorum, qui nō curuant genera sua ante Baal: sed damno pernitosum ipsorum dogma: & si in errore ipsis perrexerint, dolemus quidem ex animo: sed interea nō est nobis nostrum officium deserendum, & oramus Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut nos Spiritu sancto suo in cognitione & professione uerè p[ro]ia doctrinæ conseruet, & gregem Ecclesiæ suæ à fauicibus luporum clementer eripiat.

ALPHAEVS VALESIANVS

Henrico Bullingero S.



Egilibrum tuum, doctissime Bullingerere, quem contra D. Brentium De cœlo, De dextra Dei, Ascensu Christi in cœlum, & Sacramento corporis & sanguinis eius in coena edidisti. In quo uidi non modò D. Brentium, & qui cum ipso faciunt, uerum & me quoque admodum inclementer excipi. Quod igitur ad me attinet, cui uideo te plurimum succensere, dum me in ἀλφαρτεῖον, hoc est in pistrinum, ubi mancipia cruciabantur, coniiciendum & damnandum censes, φ Scholasticorum quorundam de cœlo Empyreo nugas ad finem Brentiani libelli recitauerim, scias, me id tibi ex animo cōdonare. Etsi enim ipse quoque in etymo cognomini tui, Bullingerere, ludere potuisse, in presentia tamen mihi omnino abstinendum duxi. Ac tantum abest, ut par pari rependere cupiam, quin me etiam paratum esse scias, si hoc modo pia pax & salutaris concordia Ecclesiæ Christi restitui posset, me iudicium hoc quantumuis graue, aut si quid etiam maius esset, non recusaturum. Subinde enim magis magisque perspicio, quantum hoc Sacramentarium dissidium Euangelice doctrinæ cursum impedit. Sed uicissim uellem te quoque pro

Pro tua eruditione, cogitare, nos in hoc sacro san-
cto mysterio minimè ludere. Et quod ~~wreis~~
~~suum~~ inter cœlum empyreū & terram, & mola
cœlitùs in terram demittenda ex sententia sophi
statum annotavi, non hoc animo factum putas,
quo tu interpretaris: uerùm hoc solum me spe-
stasse, ne maiestati Christi ad dextram Dei patris
sedentis, aliquid affingamus cœlesti eius gloria in
dignum, quod à scholasticis factum esse demon-
straui. Qui has choreas confinxerunt, & Aristote-
licum uix transcendere cœlum, hoc est, de éterna
beatitudine non nisi terrena, hoc est, stulta, cogi-
tare potuerunt. Sed ecce tibi nunc Brentium, cu-
ius caniciem cùm uellicares (sit uerbo uenia) pau-
lo petulantius, num putas ei ingenium defuisse,
quo dicteria tua, ne quid grauius dicam, pari rati-
one excipere potuisset? de quo etiam, si maximè
factum fuisset, omnes pij & equi lectores candi-
dè iudicassent. Verùm ipse uocationis suæ me-
mor, pro natura, pietate, & grauitate sua, præsentū
umq; temporum ratione, quibus uides hostes
doctrinæ cœlestis in omnes occasiones intentos,
esse & uigilare, maluit Ecclesiæ uestræq; salutis ra-
tionem habere, quam humano ingenio, quod
nobiscum nascitur, indulgere, & aliquid acerbius
in uos scribere; ut uniuersa Christi Ecclesia intel-
ligat,

ligat, sibi cum dogmate fuisse certam en à scriptu
ra sacra alieno, cuius autores & propugnatores e-
stiam saluos optauit, modò ueritati cœlestis do-
ctrinæ cederet. Te igit Bullingere per uiscera mis-
ericordiæ Dei rogo & obtestor, ne quid affectib.
dare uelis, aut opinioni, quam penitus imbibisse
uideris. Ego enim de te in uiam reuocando non
prosuis animum despondi, q̄ toties in nouissi-
mo libello tuo à D. Brentio pleniorē explicati-
onem in quibusdam desideras: quod animi est
in sententia sua non per omnia confirmati, non ta-
men obstinati, sed doceri cupientis argumentū.
Id quod te ex animo facere spero. Si igit quod o-
ptō & precor, animo candido & sincero, semotis
humanis affectibus (alioquin pessimis consulto-
ribus) hoc Brentij responsum perlegeris, & dili-
genter expenderis, uidebis quām tuę saluti & ue-
ritati cognoscēd & aperiendæ non uoluerit de-
esse, uir de repub. Christiana optimè meritus. Ac
principiò consideres uelim, D. Brentium cū his,
quos habet in hac parte doctrinæ cœlestis ^{omnes}
q̄ous, nullam prorsus naturæ humanæ in Christo
facere diffusionem, qua per corporeas dimensio-
nes longum, latum & altū fiat: quo nomine tra-
ducti sunt odio so admodū Vbiquistarū cognō-
mento. Quod cùm certum sit, & omnibus pījs,
quotquot

quotquot Brentij scripta legerunt, notum, quid
nobis dicendū aut faciendum censes, cùm pius
lector talia scriptis uestris inserta deprehendat,
D. Brentio & collegis eius minus candidè impu-
tata? Quis n. uel saltem rationis beneficio prædi-
tus, non horreat crassam hanc Theologiam, quæ
nos Christi faceret, aut naturę humanę manife-
stos abnegatores, Marcionitas, Eutychianos, aut
carnis eius Capernaiticos deuoratores? sic n. de
nobis loquunt̄ quidam & scribunt, quod ueram car-
nis Christi in cœna presentiam affirmamus: horū
scias nihil quicquam nobis in mentem uenit un-
quām: neq; quisquam nos tam crassos philo-
phos existimet. Sed quid quēlo aliud agit Petrus
Martyr in suo dialogo, quām ut scriptis patrū, &
scripturæ lacræ testimonijs doceat, corpus Chri-
sti nō extendi & diffundi in omnia loca. Sed quis
quēlo hoc dixit? quis scripsit? quis sensit? quis cre-
dit unquā: ne scholastici quidē, aliàs satis inepti
in presenti materia disputatores. Cùm igit̄ quod
semper iam inde ab initio exorti huius certami-
nis docuim⁹, ingenuè fateamur, nos firmiter cre-
dere & asserere, corpus Christi nō extendi aut dif-
fundii in omnia supera & infera loca, an non uide-
mur, christiane lector, uno uerbo ad Petri Marty-
ris prolixū dialogū respondisse, & eum refutasse?

a hoceſt,

hoc est, re ipsa demonstrasse, q[uod] nobis nostrisq[ue] ec-
clesijs affinxerit opinionem, quę cū scriptura pro-
phetica & apostolica & dictis patrum pugnet? Si
dicamus id errore & ignorantia factū Martyris,
metuendum est, ne & hoc minus benignè sit ac-
cepturus. Si uero studio factum affirmauerimus
crimen erit non leue. Verū utcunq[ue] habeat, hoc
modò sciatis, nos corpus Christi neq[ue] extendere
neq[ue] diffundere in omnia loca: quo d uelim can-
didus lector diligenter meminerit & expendat.
At dices, nos quidem hęc absurdā negare uerbis,
re ipsa uero incurrere, & defendere talem senten-
tiam, ex qua hęc necessariò sequuntur: veram scili-
cet præsentiam corporis & sanguinis Christi in
cœna. Hic uellem mihi Bullingere diligenter con-
siderares, & apud animū tuum expenderes, num
credas ita abbreviatam & infirmatam manū Dei,
ut non possit modū inuenire & rationem, qua
homo ille, quem λόγον in unitatem personæ as-
sumpsit, ubiq[ue] omnibus rebus præsens sit, & res
omnes præsens administrare possit? cuius pedi-
bus Deus omnia subiecit? Sed ait, per spiritum
Christi hoc fieri. Per quem queso spiritū? num
eum qui tertia in Trinitate Deitatis est persona?
Sed hac ratione & sanctos dei Christos dices, qui
à spiritu sancto impletur οὐσιωδῆς, neq[ue] tamen
mundum

mundum administrabunt, sicut hic Brentij libel
lus te piè & copiose docebit. Quid ergo, quod
ad mūdi administrationem attinet, Christo pro-
pter personalem vniōnem duarum naturarū am-
plius q̄s sanctis tribues? Velle aūt in hac de dex-
tra Dei disputatione Ioannem Caluinū audires:
qui & si per omnia nobiscum non faciat, hanc ta-
men, quam tu de dextra Dei opinionem profite-
ris, constanter refutat. Is. n. in locum apostoli ad
Ephes. cap. i. (Sedere eum fecit in dextra) ad hunc
modum scribit. Hic locus, inquit, apertè osten-
dit, si quis alias, quid significet Dextra Dei, Non
locū scilicet aliquem, sed potestatem, quam Pa-
ter Christo contulit, ut eius nomine cœlū & ter-
ram administret: neq; .n. hoc ad corporis collo-
cationem pertinet, sed summam regnandi auto-
ritatem exprimit, qua p̄deditus est Christus. Hoc
sonant Pauli uerba: Super omnem principatum
&c. Nam totum hoc complexū exegeticè adie-
ctum est, ad exprimendam Dextrę significatio-
nem. Dicit ergo Deus pater Christum extulisse
ad dextram suam, quia Consortem ipsum impe-
rij sui fecerit, quia Per Ipsum omnem suam pote-
statem exerceat, similitudine à terrenis princi-
bus sumpta, qui suos p̄fectos alsidere sibi iu-
bent honoris caula. Quum aūt dextera Dei cœ-

lum & terram impleat, sequitur regnum Christi
ubiq; diffusum esse, atq; etiam uirtutem. Vnde
perperam faciunt, qui ex sessione ad dexteram
Dei conantur probare, Christum non nisi in cœ
lo esse. Est quidem id uerissimum, inquit, in cœ
lo esse Christi humanitatem, non in terra (quæ
uerba Caluini ego intelligo perinde, ac si diceret
corpus Christi non diffundi aut extendi, sed etiā
in gloria, quod ad essentiam attinet, manere fi
nitam creaturā, & terreno modo, hoc est, sensibi
li esse in terra) Sed probatio illa, inquit, non con
uenit. Hactenus Caluinus. Hęc uerba ideo pro
ducere uolui, non qđ ignorem quam sentētiam
de coena profiteař, uerū ut intelligas eū quoq;
per dexteram Dei non intelligere certū aliquem
locū in cœlo empyreō, quod tu sine omni scri
pturę sacrę & patrum testimonio affirmas: & si
mul alij quoq; intelligent, quantum uel animis
uel sententijs dissentiamus. Corpus enim Chri
sti substantia finitum asserimus in cœlo ubi non
erit physicus locus, sicut aliàs copiosè demon
stratum est. Affers quidem locū ex Matthei Cap.
25. de ouibus ad dexteram Christi in nouissimo
die collo candis, sed quid hoc ad institutū? Non
enim de dextera filij hominis est quæstio, sed de
dextera Dei Patris, ad quam filius hominis collo
catus

catus est. Christus autem loquitur de dextera filij hominis, qui apparebit in nubibus: non de dextera Dei patris, quæ inuisibilis & infinita est potentia Dei, ad quam filius hominis sedet, omnia supera & infera cœlesti modo præsens gubernat & administrat.

Cùm igitur luce meridiana clarius sit, dexteram Dei non locum aliquem significare, sed sum mam maiestatem Dei, omnibus rebus præsente m, & res omnes gubernantem & administran tem, & Christum hominem collocatum ad dexteram Dei, non filium Dei (ipse enim filius siue $\lambda\circ\gamma\circ$ est dextera Dei, omnipotens inquam uerbum eius, per quod Deus pater omnia condidit, omnia conseruat) & ad dexterā Dei collo catum esse, est $\lambda\circ\gamma\circ$ personaliter uniri, & imperij consortem facere, & maiestatis: non modò, ut hac diuina maiestate, quam sine mensura parti cipat, fruatur, id quo d cùm Christo omnes sancti commune habent: sed est hoc modo in so ciatem maiestatis assumi, ut ipsa quoq; huma nitas, hoc est, homo Christus, siue, ut magis aper tè loquar, Christus etiam secundum humanita tem suam, alio tamen modo, quam diuinitas, omnia supera & infera administret præsens, mo do uidelicet cœlesti, & ratione humanæ imperi

uestigibili. Ideoq; necesse habes, aut hanc maiestatem Christi hominis negare, qua & ipse propter hanc ad dexteram Dei sessionem non localem aliquam, sed maiestatis communicacionem, omnibus creaturis est praesens: aut libenter nobiscum fateberis, eum etiam ubique esse, & in coena corpus & sanguinem suum uescientibus distribuere. Neque est, quod ad spiritum hic cōfugias, qui adsit cum pane & uino coenæ: Corporis, nō spiritus sui mentionem facit Christus, dum panem distribuit, Ideoq; non sola spiritus Christi maiestas est, sed & maiestas humanitatis Christi, quę facit ut corpus eius uerè adsit in coena, & distribuatur: alio tamen, ut dixi, modo, q̄ diuinitas siue spiritus Christi, q̄ substantia corporis non aboleatur, & natura humana etiam in gloria maneat creatura. Nihilo minus tamen tanta est humanitatis Christi maiestas, qua ubiq; locorum adeat cum spiritu, hoc est diuinitate, omnia uidet, omnia audit, & per ipsam (humanitatem, Ecce gloriam & maiestatem ineñarrabilem humanitatis eius) diuinitas, omnia administrat. Hoc, inquam, mysterium est à seculis absconditum, quod nulla ratio, nullus sensus humanus comprehendere potest. Hęc uellem te mi Bullin gere diligenter expendere, sic fieret, ut non mō-

dō

dō crederes, imō uideres pānis & uini distribu-
tionem, cum spiritu Christi, hoc est diuinitate e-
ius omnia implente, absente humanitate eius cō-
iunctā, sed maiestatem quoq; carnis Christi ado-
randā cognosceres, quæ nullo locorum interual
lo à spiritu eius separatur, sed ubicunq; diuini-
tas est, eam quoq; modo cœlesti, & naturæ hu-
manæ incomprehensibili secum presentem ha-
bet. Cuius substātia pascimur in cœna, non ea ra-
tiōne qua in cruce pro nobis passus est, sed eo mo-
do, quo in cœna sua maiestate etiam humanita-
tis suæ præsens est, & suo corpore & sanguine,
quæ hic distribuūtur nos uerè nutrit, et in uitam
eternam alit: spiritum nostrum reficiens, & cor-
pora nostra ad spem resurrectionis & immorta-
litatis consecrans.

Vides mī Bullingere, quām candidē, quām a-
pertē tecum agatur, patiamur queso nos non ab
hominibus, hoc est ratione humana, sed spiritu
Dei de tātis mysterijs doceri, ubi minus periculi
habet pia simplicitas, quām acuminis humani in-
genij curiositas. Ab ijs ciamus quas ratio humana
nobis suggerit de hac cœlesti & ineffabili maiesta-
te Christi hominis siue humanitatis eius carnales
cogitationes.

Verbum Christi sit dux noster, quod in cœna
Domini

Domini, non modò panis & uini *nourritur*, sed
ueram etiam corporis & sanguinis Christi, ma-
iestate humanitatis suæ quoq; præsentis commu-
nicationē, quę non contactu in nostra corpora
agant, sed cœlesti modo uitam per fidem in no-
bis inchoatā confirmant & foueant, indignos au-
tem corripiant & castigent. Quæ fiunt non consi-
deratione aut cogitatiōe nostra de ipsius corpo-
re absente, sed ipsum Christi corpus uerè in pijs
agat, quemadmodum & spiritus ad uiuificatio-
nem, alio tamen, ut dixi, & diuerso modo.

Vides etiam mi Bullingere, quām non abhor-
reamus à pia concordia, & quām de ea facienda
non prorsus desperauerimus. Ratio compendia-
ria est, & expeditissima. Date queso gloriam filio
Dei & omnipotentia & ueritatis, quid habebit
caro, quod responset? Quod ut uel tandem fiat,
te Iesu Christe, fili Dei & hominis, per passionē
& mortem, per uiscera misericordiæ tuæ, te oro,
& animos docentium ad amorem ueritatis do-
ctrinę cœlestis & incorruptę, & concordiæ fle-
ctas. Quot annis, quæso, durauit inter Cornelii
Romanum & Cyprianum Carthag. totius Africę
& Italiam Episcopos de baptizatis ab hereticis, re-
baptizandis uel nō rebaptizandis, certamen, ubi,
meo iudicio, non minus periculi fuisse uidetur,
quām

¶ in hac de cœna Dominica dissensione, donec tandem utrisq; defunctis, & argumentis utrinq; probè examinatis, pars quæ Cypriano adhæserat, utcunq; sibi argumentis munita uidebatur, ueritati cederet, & Ecclesia Dei, quid credendū esset & faciendum, rectè instituta est.

Vtinam uerò hunc diem aspicere liceret, quo utriusq; partis argumentis diligenter discussis, remotis omnibus prauis affectibus, de ueritate uanamiter pronūciaretur, ex Ecclesia Dei omnis error tollat, paßim & ubiq; lo corum quām latè Christianismus patet, omnes rectè de tanto mysterio erudirent. Hoc multorū pia uota desiderant, flagitant, hoc sperant, hoc expectant: cui singuli pro uirili nostra, & quisq; pro uocatiōis suæ ratione deesse nō debet. Cogitaui ipse s̄penuero, præstare, ut animis iam propemodum uтринque defatigatis, à scriptione temperaretur. Video autem singulari consilio Dei diuersum fieri. Et accedit, quod apud Esaiam scriptum legimus. Sic ut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt uix meæ à uijs uestris, & cogitationes meæ à cogitationibus uestris. Non quidem ab initio semper consiliorum Dei nobis constat ratio, sed tamen suo tempore reuelantur. De hoc uerò certamine, ut dicam quod sentio, fortasse Dominus permisit, quum aliud Noui testamenti & E-

b uange-

uangelicæ doctrinæ caput, aut cultus diuini pars
alia maioribus tenebris, erroribus, idolomania
inuoluta non fuerit, quam cœna Domini. Vo-
luit Dominus omnia eius probè examinari, & ad
uiuum resecati, donec ueritas ex imis & densissi-
mis tenebris eruta, manifesta fieret. Id quod nūc
uel tandem factum cōfidimus. Spero enim hoc
Brentij libro lecto & diligenter examinato, om-
nes uerè pios intellecturos, nos ueram carnis
Christi præsentiam in cœna Domini asserentes;
nihil crassum aut carnale Christi corpori, secun-
dum rationem huius seculi affingere, quo d uel
naturam eius aboleat, uel cū maiestate ipsius pu-
gnet, adeoq; nullum nouū in Ecclesiam Dei in-
troducere dogma, sed ueritatē coelestis doctri-
nieri, maiestatē hominis Christi asserere, & the-
saurum Ecclesiæ in cœna Domini non adumbra-
tum modò, sed donatū & exhibitum custodire.
Spero etiā fore, utho c scripto multorum animi
in uera, quam hactenus professi sunt, sententia
confirmentur. Et ex his, qui hactenus sibi & hu-
manis rationibus indulserunt, eas abiecipturos, &
intellectum suum, iuxta doctrinam Apostoli, ca-
ptiuum tradituros, in obsequium Christi: dum
uident, humanas de alterius seculi conditiones ra-
tiones consistere non posse, sed cū maiestate ho-
minis Christi ex diametro pugnare.

Ego

Ego quidē ingenuè & grato animo fateor, lectio
huius scripti me nō parū in sentētia cōfirmatū, quā
ecclesiæ Dei ministerio meo iam aliquot annis tra-
didi. Idē alios quoq; testificaturos minimè dubito.
Atq; persuasissimū habeo, si maximè decē mille mi-
liaria eminus Christū cum corpore suo uiderē, quē
admodū ipsum uisuri sumus in nouiss. die, uenien-
tem in nubibus, &c. uerbo tamē ipsius obediens, &
fidē habens, quo præcepit in cœna sua māducare &
bibere, & promittit sē dare nobis corpus suū & san-
guinē, nihil prorsus dubitarē, hoc ipsum corpus me
manducare, quod eminus aspicerē. Locus. n. sicut in
prima coena, ubi unus discipulorū Christi propior
fuit altero, nihil impediuit uerā distributionē cor-
poris & sanguinis sui. Maiestate enim, nō ad mensu-
ram participata hoc p̄estitit, quod naturę corporis
defuit: idē nunc quoq; in ecclesia sua & posse & pre-
stare certū est. Vbi de physica locatione corporū spi-
ritualiū, qualia Paulus resurrectura testat, nihil som-
nandū est, postq; deposita omni humanæ naturæ
imbecillitate, in forma serui assumpta, ad summam
maiestatē Dei est euectus, omnia gubernans & ad-
ministrans, uereq; quod promisit implens.

Hęc maiestatis Christi cōsideratio facit nobis hūc
de cœna Domini articulū apertū & facilē, & omnes
absurditates tollit, & curiosas quęstiones de uirtute
cōsecrationis, de hostijs (ut uocat) in usu cœnæ Dñi
rema-

43069-IV

remanētibus, de duratiōe p̄sentię Christi cū pane
cœne, & similia, quę ōes hinc potissimū exortę sunt,
q̄ maiestas hominis Christi ad dexterā Dei nō recte
cōsiderata fuit. Quid n̄ his opus est, recte de maiesta
te hominis Christi ad dextrā Dei sedētis, sentiēti? &
qui intelligit nō modō, quomodo homo Christus
per diuinitatē omnia posuit, uerū etiā quō Deus per
humanitatē in unitatē personę assumptā, omnia ad
ministret: mysteriū sanè maximū, quod humani in
genij modū excedit, uidelicet: Humanæ naturæ in
Christo, omnia supera & infera, hoc est, omnes crea
turæ subiectas esse, & per ipsum siue ab ipso guber
nari. Qui igit̄ iuxta fidei nostrę articulū per hominē
omnia in cœlo & in terra administrat, & cui datū est
nomē super omne nomē, qui positus est super om
nem principatū, qui igit̄ tu, queso, qui uel quereres
uel dubitares, quomodo idē tibi sūū corpus & san
guinē dare possit in cœna? Ah mi Bullingere, hic
subsistamus, hāc maiestatē adoremus potius q̄ scru
temur, ne cū parē faciamus angelis aut hominib. san
ctis, hoc est, uerū Deum esse negemus. Vita nostra
in Christo nō modō est diuinitas, sed & humanitas
eius, quę & ipsa facta uiuifica. Reliqua mittamus, &
eius considerationē in alterū seculum reijciamus.

Habes mi Bullingere, ut ego quidē arbitror, respōsum minimē ho
stile, sed quod profectū est ab animo salutis tuæ tuorūq̄ cupidissimo.
Dñs Deus pater Domini nostri Iesu Christi unā cū Spiritu sancto, lar
giatur nobis, ut in ipso unū simus, idem sentiamus, & ad utilitatem ca
tholicę & uerē orthodoxę ecclesię idem loquamur. Vale.